

Vg
5316



25
Ak



Q. 194. (54)
Wk. 194.

734
Vg
5316

ORATIONES DVÆ,

Vna,

DE COMPARATIONE
MEGALANDRI D. D. MARTINI
LVTHERI CVM PROPHEA ELIA, EX
qua septem evidentissimis ostenditur argu-
mentis, Lutherum & fuisse & etiamnùm rectè di-
ci tertium Eliam ante adventum Christi
ad iudicium, composita,

*Et in Synodico Pastorum conventu ante institu-
tas de sacra Scriptura Canonica συζητήσεις,
pronunciata.*

Altera,

In Amplissimorum Dominorum præsen-
tia, cum officium Cantoris Dn. CHRISTOPHORO
LISBERGERO publicè commendaretur, coram
cœtu scholastico recitata Dresdæ

à

PAVLO LAVRENTIO, S. Th. D. & Su-
perat. Dresdensium.



Lipsiæ, impensis HENNINGI GROSII, bibl.

ANNO M. DC. VI.





REVERENDO ATQUE
 CLARISSIMO VIRO,
 DN: PAVLO LAURENTIO,
 Sacrae Theologiae Doctore, &c.
 S. in DNO.

BINAS TVAS ORATIONES, REVE-
 rende atque clarissime Domine Superintendens, pridie
 Suhlæ accepi, heri in curru legi, hodie post reditum
 meum ex Khündorff, ubi munere meo, habendo concionem,
 defungi coactus sum, breviter respondere volui. Idque eò
 maturius, ut vel ex illo ipso colligeres, me studium tuum
 & operam impensam probare. Cui enim γνησίως Lutherano
 Theologo, hæc Eliæ & Lutheri pia & dextra collatio displicere
 posset? Scripsit Plutarchus Parallela prophana, con-
 ferens inter se Græcos & Romanos. Conscribas tu nobis
 Parallela sacra, conferens neotericos Theologos cum Patri-
 bus, sive sacris, sive Ecclesiasticis. Et si maximè eveniat, ut
 ronchos & aculeos, sive Jesuitarum sive Calvinistarum, susti-
 nere cogaris, ubi publici juris facta fuerit hæc Oratio: sic
 tamen te affectū scio, ut etiam extrema quævis, pro veritate
 sustinere sis paratus.

Alteram Orationem, quia ὡς ἔν τῷ τῶ Superintenden-
 tibus monstrat, quid in introductione Præceptorum schola-
 sticorum potissimum spectare debeant, commodè alteri
 adjungi posse statuo. Ac propterea, ut in proposito tuo per-
 gas, hortor. Benè vale, nosque peregrinantes precibus tuis
 commendatos esse patere. Dabantur Meinungæ 10. Julij
 Anno 1606.



T. in Domino

Polycarpus Lyserus D.





3

PIETATIS SAN-
CTITATE, VIRTUTIS,
SAPIENTIAEQ; SPLENDORE,
vsu maximatum rerum, & eruditæ doctrinæ
copiâ eminenti viro, Domino LUDOVICO
VVILHELMO MOSERO, Illustris: Ele-
ctoris Saxonæ, CHRISTIANI II. Consilia-
rio & secretiorum Epistolarum Magistro
perspecto, integro & bono, Do-
mino suo plurimum obser-
vando. S. D. P.



VM NVPER A DEO
convocatis Dominis Pastoribus no-
stris in Synodo id repetere instituissem,
quod & Leges quotannis facere ju-
bent, & res nostræ Ecclesiasticæ re-
quirunt: utilis alicuius argumenti commemoratione
ordiri colloquium nostrum volui, ne $\chi\theta\sigma\iota\upsilon\varsigma$ $\acute{\alpha}\nu\iota\pi\eta\sigma\iota\varsigma$ (ut
de suis sacris loquitur Hesiodus) pias nostras συζητήσεις
inchoarem. Præ reliquis autem materijs de Luthero,
qui verè $\tau\omicron\iota$ $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ $\sigma\omicron\mu\alpha$, $\eta\epsilon\lambda$ $\delta\epsilon\omicron\varsigma$ $\tau\iota\varsigma$ $\theta\epsilon\omicron\lambda\omicron\gamma\omega\mu$ fuit, dicere
aliquid mihi visum fuit: non quòd mea recensione ex-
tollì aut amplificari laudes ipsius possint (quod enim
A 2 veterum

veterum quispian de Virgilio scripsit, nullius eum laudibus crescere, nullius etiam vituperatione minui posse, cum ipse λόγος καὶ λόγος παντὸς κρείττωρ sit, id verius de Luthero dicitur) Sed ut meas meditationes de divino hoc organo, quod modum humani ingenij excessit, declararem, & ut eos, qui tum aderant, ad similem venerationem & assiduam scriptorum Lutheri lectionem excitando inflammarem; ut etiam æternum in χετλιωτάτῃς Lutheri criminatores, qui sunt Pontificij & Calviniani, odium eis instillarem, de Luthero, & quidem in comparatione cum Elia Propheta, aliquid proponendum esse existimaui. Gratissimam tum fuisse Dominis Pastoribus recitationem illam satis apparebat: gratiores autem sibi fore annotationes meas significabant, si impressas haberent, ut sæpius relegere, ac Megalandri Lutheri mentione oblectare sese possent: Meum igitur scriptum, quod audiuisset priuatim, publicum & typis evulgatum habere auebant. Consensi ego tandem, & quia

Nulla ferent talem secla futura virum,

Quæ de tanto Theologo consignaueram, publici juris feci; ita tamen, ut & à viris magnis & hominibus politicis illa ipsa reciperentur, & ex ijs singulari erga Lutherum benevolentiam approbatorem & tanquam defensorem inuenirent.

Talem inter alios te, præstantissime Domine
MOSERE, esse noui, id quod tum ex multis e videntibus
habeo

DEDICAT:

5

habeo documentis, tum ex gravissimis tuis deprehendi colloquijs. Te solertissimè ex Lutheri scriptis plurima proferentem audivimus, à te Lutheranam doctrinam vnicè commendari scimus, tuum in Satanicos Calvinianos acerbissimum odium vidimus; ut te meritò ob has virtutes veneremur, Egoq; tibi, veluti Lutherano vero, libellum hunc adjungam: non quòd jam demum talia considerare incipias, sed ut arcanis maximeq; serijs negotijs te obrutum, & interdum planè languentem, harum rerum lectione erigam, immistisq; historicis, ceu medicamento quodam, reficiam; ut etiam vel tandem pro summo tuæ in me benevolentiae studio gratum & memorem beneficiorum tuorum animum, & ἀνὰ εὐχριστίαν scribendo exprimam. Annexi in fine & aliam Oratiunculam de Musica, quam in negotio quodam scholastico nuper recitabam, & eam ipsam tibi, hilari ac benevolo scholarum patrono, placere cupio: tribues autem ei quantum volueris. Accipe igitur has Orationes meas, easq; tuas esse, tecumq; habitare ut patiaris, ac benevolentiam me complecti pergas, etiam atq; etiam oro. Vale. Scr: Dresdæ 10. Augusti, Anno 1606.

Præstantiæ T.

Studiosiss.

Paulus Laurentius, D.

& Supr. obasquillib.

A 3

IN



IN NOMINE JESU,

Amen.

CUM HOMO, TESTE ARISTO-
tele, φύσις animal sit πολιτικόν, solitudinem fu-
gimus omnes, ac congressus potius quærimus
aliorum; ita ut alter alterum etiam sæpe ad se in-
vitet, convocatis amicis convivia celebret, ijsq; se
oblectet. Videndum autem fuerit, ut conventus
sint honesti, colloquia instituãtur jucunda & utilia,
animi in prævium inclinabiles ad rectum revocen-
tur, mentes curis lassæ verâ lætitia perfundendo re-
creentur, & ut omninò conventus ille quoddam
beatæ & æternæ illius, quam in cœlis inter Ange-
los expectamus, conversationis specimen repræsen-
tando declaret. In primis autem nostrum ordinem
decet, ut crebrius Ecclesiarum pastores conveniant,
collatisq;, de rebus ad arduum ipsorum officium
pertinentibus, sententijs id efficiant, ut commodius
docere, & commodum Ecclesiasticum rectiùs au-
gere possint: Paulatim enim in pectora descendunt,
& vim præceptorum obtinent, si frequenter audi-
untur, & aspiciuntur bonorum & Eruditorum col-
loquia atq; consilia.

Certè, sicubi in Ecclesijs gliscere malum ali-
quod incepit, resq; Ecclesiastica, nisi succurreretur,
gravissimam ruinam factura videretur, Imperato-
res doctos viros convocasse legimus, ut consenti-
entem veritatis doctrinam cognoscendo defende-
rent, studia verò pernicioſa, turbas, & certamina
dissipando oppugnarent. Bonorum igitur con-

ver-

ventus suas, easque; eximias habere utilitates, libenter quilibet fatebitur,

Et ut ad nos veniam, videtis nos quotannis ante messem convenire, cuius rei causas habemus, non minus ac prisca illi, graves & necessarias: meo certe loco ego privatim vobiscum colloquens, & hic publice declamans, id unice ago, ut & vos & coetus vestri Ecclesiastici sitis quam beatissimi: quapropter & monendo, & hortando, non raro & informando, nihil intermitto, quod vel ad incitationem curæ & diligentiae in officio, vel ad erratorum quorundam correctionem, vel ad studiorum vestrorum promotionem, & dignitatis vestrae auctorem pertinere videtur. Sint modò omnes eius inter vos animi, qui & bene monenti obedire, & utilia monstranti obtemperare velint. Ac quos etiam magnopere accusare ex vobis debeam, non invenio, nisi quòd quosdam ὀργιλωτέρας esse videam, ut praeracundia insani sint, nisi à me cohiberentur: quidam verò ex ἀνθαδίσια quadam, communi illa omnis erroris matre, ὑπερφανώτοροι sint, ac nisi imbecillitatum suarum monstratorem me haberent, variarum proculdubio turbarum auctores essent. Sed quid ad nos & ad publicum hunc actum privata colloquia, quæ cum illis institui?


Synodos nostras eiusmodi esse conventus monstrare volebam, qui cum utilitate etiam delectationem aliquam vobis afferrent, idque propositis in medium de sacra Scriptura quæstionibus & solutionibus nos facturos promisimus. Cum autem sacram Scripturam, inexhaustum illum divinæ sapientiae

pienitiæ fontem, Magnus ille LUTHERUS nobis monstraerit, aperuerit, aditum ad eum fecerit, & explicationes suas, dulcissimos fontis illius rivulos, nobis reliquerit, etiam maximorum Lutheri laborum, & pretiosissimarum sacrae Scripturae declarationum grata mente meminisse debemus.

Dicam igitur aliquid de Luthero, & ut animadvertatis, quantus Heros ille fuerit, quàm bene de sacra scriptura meruerit, ut auidius deinceps Lutheri ductu sacram scripturam legere, diligentius meditari & ediscere cupiatis, cum Elia propheta Lutherum comparabimus, demonstrando, tertium hunc & ultimum ante Christi adventum esse Eliam. Ferunt, Ciceronem olim, cum fortè in theatro interfuisset recitationi sextæ Eclogæ Virgilianæ, & animadvertisset, eam nequaquam vulgaris esse ingenij, ita fuisse admiratum carminis elegantiam, ut de autore quæsierit, & postea in suam & Poëtæ laudem dixerit; Magnæ pars altera Romæ: Quam vocem Virgilius tandem ad Ascanium in Aeneide retulit. Cicero igitur Virgilium propter ingenij excellentiam alterum Ciceronem nominavit; & nos hodie eloquentissimum quempiam alterum Ciceronem; acutissimum Philosophum alterum Platonem appellamus: Sic ipse CHRISTUS, propter mirandam utriusq; ministerij convenientiam, Johannem Baptistam Eliæ nomine insigniuit; ac cum in undecimo Apocalypf. capite se ante mundi finem adhuc Prophetas, viros excellentes & magnos, datum promiserit, & inter omnes, quos nostra ætas vidit, nullus inventus fuerit, nullumque
amplius

amplius venturum appareat, qui parem cum Elia & Baptista Spiritus virtutem habeat, qualem Lutherus habuit; rectè ac tutò Martinum Lutherum tertium Eliam esse dicimus, idque enumeratione septem circumstantiarum demonstrabimus; Ubi 1. initiò ratione Nominis: 2. Deinde patriæ: 3. Postea Temporis: 4. Tum, miraculorum, quæ ediderunt: 5. Post Donorum Spiritus sancti: 6. Præterea genere doctrinæ: 7. Extremò tandem, quo ad vitæ exitum, & res, quæ hunc secutæ sunt, similitudinem inter Eliam & Lutherum miram, egregiam, magnam & concinnam audietis, & cognoscendo approbabit.

De hoc igitur argumento me ut orantem modicè, & indicantem potiùs, quàm explanantem ea, quæ in hanc partem verbosè proferri poterant, benignè audiat, etiam atq; etiam peto. Quod si mihi à vobis tribui concedi quæ sentiam, quantum in me est, enitar & perficiam, ut impendij horulæ vnius fructum percipiatis non contemnendum, vel saltem ut vos aures mihi præbuisse non poeniteat.



Primam inter Eliam & Lutherum comparationis rationem ex paribus amborum Nominibus elici indicavimus, quod alicui inconvenientissimum videri possit, quæ enim quæso congruentia, quis consensus est inter nomina Eliæ & Martini Lutheri? vix literam, nedum syllabam invenies, in qua ὁμοιωσις aliqua appareat: Sin verò rem ipsam
 A diligenti-

diligentiùs consideraverimus, non solùm aliquam, sed maximam, aptissimam, & quasi data opera institutam amborum Nominum convenientiam videbimus.

Eliæ nomi-
nis etymon.

Elias enim (Hebraicè *אליהו* scribitur) composita est nomenclatio, ex nomine *אליהו*, id est, Deus meus, & ex pronomine *אני*, ipse. Denotat igitur Elias fortem Domini, cui Deus animum addit, ut magnanimus sit atq; fortis, qui ex tali *μεγαλοθυχία* Deum Eli, id est, Deum suum nominat, & hunc ipsum, DEUM verum esse credit, qui Deo fidit, & imperterritus ea aggreditur & perficit, quæ nullis aliàs humanis vel consilijs vel viribus præstari possent. Ac talis fuit utique Propheta Elias, alacri, forti & magno animo, omni odio vel amore in alios seposito efficiens ea, quæ Deo mandante suarum esse partium intelligeret.

Martini Lu-
theri nomē
unde.

Mars Deus
belli.

Dies Martis
cur dienstag
dicatur.

Similem in modum cùm & Lutherus forti in Ecclesia animo pugnare debebat, Dei providentia factum fuit, ut & simile nomen ei inditum fuerit, nomen scilicet Martini. Martem, Deum belli Latini & Germani pariter coluerunt: Quem igitur Latini ob fortitudinem & felicitatem in gerendis bellis Martinum nominabant, eundem Germani Hermannum appellabant, id est, clarum Ducem exercitus, *einen Mann des Heers*: Est enim *ein Heer* exercitus. Cicero & Virgilius Martem etiam communissimè tantùm Deum appellarunt, hinc res Marti dicatæ, Dei res dicte sunt, ut dies Martis, id est, Dei dies: Deus autem (græcè *θεός*) Gottica dialecto dicitur *Ditt*/ hinc *Dittag*/ id est, Dei dies, sive Martis dies:

Dies: Nos pro *Dittag* suaviore pronuntiatione dicimus *Dienstag*. Sic & *Dittrich*/id est, Dei dives, qui Dei dono robustum habet animum, & vir fortis est. *Martinus* igitur & *Hermannus* & *Theodoricus* sive *Dittrich*, eiusdem nominis sunt appellationes, & virum denotant fortem, Ducem belli, Deo sive Marti dicatum, & Dei, id est Martis, donis ornatum.

Eiusmodi planè vel *Martinum* vel *Herman-Lutheri Hennum* fuisse *Lutherum* eventus docuit, cum toti orbi *roicus anti-* terrarum manifestum fieret, quod *Lutherus* falsa *mus.*

Romani Pontificis, ut Antichristi, dogmata oppugnando fortissimè prosterneret, & idolis profligatis verum Dei cultum restituendo instauraret. Vnde obsecro, & cuius ope *Lutherus* tanti momenti negotium potuit absolvere? Dicere, suis id *Lutherum* fecisse viribus, hominis est ridiculi, & parùm ad hanc rem attenti: affirmare verò aliorum ipsum fuisse opera adiutum, aut subsidijs munitum, hominis est omnium harum historiarum prorsus ignari, cum constet, in comitijs, coram Pontifice, Regibus & Principibus, nil nisi flammã bellatori huic minitantibus, *Lutherum* cum causa sua ab omnibus fuisse derelictum. Solus igitur Deus Heroica fortitudine eum armavit, divina sua præsentia contra omnium spem iuvat & defendit.

Negari quidem non potest, & *Eliam* & *Lu-Luther⁹* in- *therum*, cum impendentem ipsis ex pijs eorum telligit viri- studijs periculorum molem viderent, parumque se um suarum fidelissimis laboribus suis apud plurimos proficere imbecillita- animadvertent, utrosque perpendendo secum tem, & luctu Dei dono virium propriarum imbecillitatem, non raro vincit. *august⁹ vixit*, & tantùm non animo fractos fuisse,

B 2

utin

ut inchoati officij eos vel poeniteret, vel de eiusdem intermissione & valedictione cogitare inciperent: Quemadmodum Eliæ querelas ex sacris libris; Lutheri verò in scripto, quod Disputationi suæ de indulgentijs præmisit, legere potestis: Benignissimus tamen Deus noster misso Sancto Spiritu suo iterum eos erexit, corroboravit, & tantum eis addidit animum, ut & Ecclesiam docendo plantare pergerent, plantandóq; omnia humana despicerent, nihilq; extimescerent. Et hoc est prævalere ex ore parvulorum & lactentium, sive (ut emphaticum illud Davidis verbum עָרַו indicat) excellentiã roboris ostendere in debellandis hostibus. Apud Esaiam Dominus Deus noster dicitur DEUS fortis, vel (ut Lutherus Hebræum אֱבִיר nervosissimè expressit) *der Rechtige in Israel*. Apud Sophoniam dulcissimo epitheto nominatur צְבֹר יוֹשִׁיעַ, Salvator qui roborat, & superare facit, quibus vocabulis manifestè ostenditur, Deum fidelibus ministris suis nequaquã ociosum adesse, sed suppeditando vires ad eò eos idoneos & fortes efficere, ut sapienter adversos casus ferre possint, & in officij executione *δυνατῆσθαι* videantur.

Psal. 8. v. 3.

Esa. 1. v. 24.

Soph. 3. v. 17.

Ex Nominum igitur consideratione, quæ præcipuis his duobus Doctoribus data sunt, Lutherum nostrum tertium Eliam fuisse rectè colligitur, quod expositionis huius caput primum esse debuit.

❁ II. ❁

Eliæ & Lutheri patria.

SECUNDUM Merit de amborum patria: Ratione loci quidem Elias & Lutherus, vnam eandemque patriam

patriam non habuerunt; aliarum tamen circumstantiarum observatio tantam utriusq; soli natalis ostendit convenientiam, ut quis fateri cogatur, Lutherum etiam patriæ respectu aptissimè cum Elia conjungi.

Regum libro primo Elias Thisbites nominatur, i. Reg. 17. v. 8. à patria Thisbi, qui locus fuit obscurus in regione Thisbi, patria Eliae, Gilead: Verùm quid Thisbi est, si cum Hierosoly- ma, Samaria, & alijs amplissimis vrbibus comparare volueris? vix pagum esse dices; abjectissima tamen casa Thisbi clarissimum Prophetam Eliam genuit.

Sic Divus Lutherus Islebiæ natus est, in comitatu Mansfeldensi, ubi & in primis annis fuit educatus. Sed quæ fuit Islebiæ tum temporis celebritas? nulla. Quis parvam hanc urbem componere alijs magnis audebat? nemo. In summo tum flore erant Roma, Parisij, Lovenna, Moguntium, Erphordium, & aliæ amplæ urbes, ut earum respectu Islebia urbis titulo vix digna esset.

Pontificij itaq; cùm Anno millesimo quingentesimo & vigesimo Lutheri sermonem, quem de sacra Coena nervosè explicaverat, refutare tentarent, nec tamen disputando manifestam veritatem evertere possent, convitijs rem aggressi sunt, & cùm nec illorum quidem apta haberent *χίματα*, Patriam Lutheri objecerunt, existimantes Islebiam ficticium esse nomen, atque ita ignorari pessimi Lutheri ortum; ob patriæ igitur obscuritatem Lutherum calumniando exagitaverunt. Verum enim vero, quem admodum parva Thisbi Eliam non obscuravit; nec

Lutheri patria.

Luther: ob patriam obscurâ à Pontificijs derisus fuit.

Varronem macellaria patris taberna inquinavit, nec Tullium Hostilium agreste tugurium dedecoravit, nec Tarquinium Priscum id, quod exule, patre Demarato, natus est, deformavit: Ita etiam obscurior Islebia Magnum Lutherum nostrum nunquam violavit, quin imò auctoritatem eius ornando vehementer amplificavit.

Mansfeldū
cuius nos
de Luthero
moneat.

Nam si Mansfeldi educatus fuit, nonne Mansfeldum talem nobis virum enutrivit, qui verè fuerit Mansfeldensis, id est, qui alacris fuerit & fortis in docendo & propagando coelestem veritatem, imperterritus voce & scriptis defendendo eandem, & invictus in confutando & prosternendo falsa adversariorum dogmata: neq; hoc fecit μετὰ δόλον καὶ τέχνην, nec tectè, nec callidè, nec meticulosè; sed apertè, clarè, & constanter, nullius iudicium aut conatus formidans, cum omnibus, ut virum fortem decet, tanquam in aperto Marte congregiendi, nec passus est, se vera profitentem ullius amplitudine, auctoritate, dignitate, minis ac malis artibus frangi. Hoc est esse Mansfeldentem, *der als ein Mann im freyen öffentlichen Felde jederman vnter Augen gangen ist.* Hoc est esse Eislebium, quali Eisenleibium, qui ceu ferrum comminui non potuerit, comminuerit autem ipse, quæ ex verbo Dei nec solida, nec firma ei obiecta fuerunt. Ita Lutherus re ipsa se talem esse ostendit, qualem suis nomenclationibus, Eislebiæ & Mansfeldi, patria fore prædixit.

Islebia cuius
nos de Lu-
thero mo-
neat.

Quin & hoc modo Luthero patria sua decus addit: Islebiæ non tantum ordine naturæ ad hanc vitam

vitam natus, sed & per Baptismum à Deo ordinatum ad vitam æternam regeneratus fuit, ubi igitur per ætatem & rationis usum hoc intelligere potuit, & hanc, quam ex baptismo & prima institutione doctrinam arripuit, ex immotis verbi divini fundamentis desumptam esse animadvertit, solus dicere incepit: Hæc est Islebia, id est, hic est vita, Eisleben verè dicitur, quasi, *Hic ist Leben*. Hic, in patria mea, in baptismo, in doctrina, quam ex S. scriptura hausi, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, quòd remissionem & vitam æternam habeant omnes, qui **Act. 10. v. 49** credunt in Christum. Et quemadmodum Islebiæ vitam naturalem accepit, & ad vitam beatam fuit regeneratus; ita Islebiæ quoq; vitam caducam reliquit, & ad vitam æternam emigravit, ut etiam hac ratione Lutherus verus & spiritualis Islebiensis fuerit. atque hæc de obscuro amborum Prophetarum nativitatis loco.

Sin vocem patriæ Eliæ spectes, Hieronymus tomo operum suorum quarto, in libro de locis Hebraicis, idem Thisbi significare ait, quod Latinis est captivare, sive in captivitatem abducere, à radice ^{מִצְרַיִם} rationem interpretationis Hieronymus non addit, ut incertum sit, num Eliæ patria propter maris & montium vicinitatem, an verò propter inquilinorum paupertatem Thisbi & captivitas dicta sit, Vt enim egestas homines ad rapinas impellit, ita vicini montes eosdem muniunt, & ad quærendum prædam faciunt animosiores.

Affirmant quoq; Philo & Hieronymus, præter allatam significationem Thisbi etiam idem valere,
ac ver-

Thisbe, Eliæ
patria, quid
significet.

ac verbum Convertens, quod fieri credo propter radicem כ״ש , reversus est: idem etiam notare, quod verbum Habitans, idq; propter radicem כ״שׁ , sedit; cum his enim duabus radicibus cognationem habet principalis illa כ״שׁ . Quamcunque nunc pagi huius significationem eligas, eam & Lutheri patriæ videmus quadrare.

Quomodo
Lutherus
Thisbites
fuerit.

2. Cor. 10.
v. 5.

Si enim Elias propter suorum hominum captationes Thisbites dictus fuit, etiam Lutherus noster Thisbites est; quia & is in captivitatem redegit non mercatorum aut privatorum bona, ut Pontificius ille veterator Tecelius faciebat, Sed secundum Paulū $\text{πάντων ἡμᾶς εἰς τὸ ὑπακοῦν τοῦ χριστοῦ ἡχμαλώτους}$. Sic Elias propterea Thisbites est, quod inquilini in ipsorum usum quælibet convertere potuerunt, vel potius quod ipse à teterrimo Baalis idolo plurimos ad veram erga DEUM Israël fidem convertit: Meritò & Lutherus Thisbites est, nam & is explicatione sinceræ doctrinæ Ecclesiasticæ plurimos in toto terrarum orbe ab execranda Pontificis Romani idolatria revocavit, & ad Deum convertit. Si denique & propter habitationem Elias Thisbites fuit, quod sui populares certas habitationes elegerint, ipse verò auditores suos certiores in cælo habitationes quærere iussit: Vtique & Lutherus noster eandem ob causam Thisbites est, quàm sedulò enim nos superna quærere, sub Dei alas nos recondere, & beatam ibi habitationem invenire docuerit, scripta eius cum maxima omnium utilitate etiamnum testantur.

Vnicum

Vnicum adhuc in hac parte restat, quòd cum Elias Gileaditum sacra Scriptura diligentem eius faciat mentionem, adites dictus nec ego tacendo præterire possum; Eliam nimirum non tantum à loco nativitatis Thisbiten, sed & à tota illa regione Gilead Gileaditen fuisse appellatum, quæ vox à collectione quidem seu convolutione lapidum, in testimonium perpetui fœderis, quod Jacob cum socero suo Laban iniit, denominationem suã accepit à לג voluit, & ע testis, ut nunc Gilead idẽ sit, quod cumulus seu acervus testimonij. Gilead vnde
Gen. 31. v. 64
Elias autem prodiens ex illa regione cumulatissimis testimonijs Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, unicum & solum verum Deum esse probavit: Baaliticos verò sacrificulos blasphemæ hærescos convicit, & sic verè Gileadites, seu cumulus testimoniorum de veritate verbi divini factus fuit.

Eadem hæc ad Lutherum nostrum si applicueris, Deus bone, quantum ille acervum firmissimorum de Deo testimoniorum prodidit, & quàm egregius cum Elia Gileadites fuit. Cum enim errores suo tempore in Ecclesia essent uberrimi & deterrimi, totius orbis exemplo firmati, & longa cõsuetudine velut in naturam mutati, ex quibus emergere atq; eluctari nemo volebat, vel etiam non poterat, solus Lutherus, tanquam è regione Gilead adveniens, nihil, nisi quod Scripturæ testimonio firmatum erat, docuit, nec recepit, nec valere passus fuit, solam sacram scripturam urfit. Quemadmodum anno 1518. Augustæ, Cajetano Cardinali respondit, fieri nullo modo posse, ut retractaret, quæ scripsisset, nisi ex Scriptura convictus esset, Ex Scripturæ igitur testi-

Lutherus
quomodo
Gileadites
dicatur.

C

monijs

monijs disputavit, iisdem se & defendit, & adversarios jugulavit; Scripturæ testimonia tam copiosè, tam clarè, tam aptè allegavit, ut ne mutire quidem contra ipsum auderet quisq;, aut si quis adversariorum loqueretur, ineptè garrere, insulsa & incerta pronunciare audiretur. Tot ac tantis igitur sacrae scripturæ testimonijs suffulta est Lutheri doctrina, ut Doctorem hunc à Deo esse missum, eiusq; testimonium, ut ipsius Dei testimoniū, accipiendum & defendendo amplectendum esse, omnes rectè sentientes testari cogantur. Atque hæc etiam esto inter Eliam & Lutherum convenientia, quam utriusq; patria nobis monstravit.

III.

Convenientia temporū, quibus Elias & Lutherus docuerunt.

Eliæ seculū quale fuerit.

Venimus nunc ad tertium caput, quod temporum nobis describit *πρὸς ἀρχὴς*, in quibus uterque Propheta vixerunt. Videbimus autem illorum tempora tam esse consimilia, quam potest esse speculū tuum; ut Plautina ntar formula ex Menæchmis.

Elias corruptissimo vixit seculo, quod impius Rex Achab, & sceleratissima Jefabel, atq; Sacrificuli Baalitici depravaverant. Achab enim, monstrum illud hominis, & mulieris mancipium, foeminae delitijs inserviens, à patria religione defecit, & in vxoris gratiam idolorum cultum introducendo etiam populum Israël in eundem errorem attraxit. Temporibus igitur Eliæ in doctrina & cultu Dei, & in hominum morib. nihil fuit sani: Ecclesia ad paucitatem erat redacta, omnium scelerum genera velut diluuium terram Israël inundaverant, quibus omnibus se opposuit Elias, ad præstinam cupiens pietatem

tem reducere auditores suos. Sed & ipse irritatae
bestiae Jesabelis furore adeo premebatur, ut in deser- 1. Reg. 19
tum secederet, ubi tedium tam molestae & labori- v. 4.
osae functioni ei obrepit, praequa sub junipero se-
dens mortem exoptat, & dicit: Sufficit nunc, Do-
mine; tolle animam meam, quia non sum melior
patribus meis.

Simili modo & praestantissimus Lutherus noster Lutheri se-
corruptissimo & turbulentissimo vixit seculo, in culum quale
quo nullum mendacium tam erat atrox, nulla ido- fuerit.
latria tam crassa & horribilis, nulla libido tam abo-
minanda, nulla denique superstitio tam tetra, quam
in Pontificiorum delubris non invenisses: Mona-
chi sceleribus ijs omnibus foedissime erant conta-
minati.

Ex innumeris exemplis eligam unicum, Te- Tecelius
celij illius, Monachi Dominici, cuius praeter ca- cum suis
teros nobilitata erat & impietas & impudentia; indulgen-
propter perpetrata enim turpitudinem, nisi ab tijijs
Electore Saxon: FRIDERICO intercedente libe-
ratus fuisset, in aquis suffocari debuerat. Is anno
millesimo, quingentesimo, decimo septimo in his
regionibus passim, titulo Alberti Archiepiscopi
Magdeburgensis, quaestum quendam exercebat,
redimendi veniam factorum faciendorumque,
quas ineptias vocabat Indulgentias, ijs tan-
tam inesse aiebat vim & efficaciam, ut, si quis
(horresco referens) & Domini nostri Jesu Christi ma-
trem, virginem Mariam, stuprasset, tamen sceleris lar-
gissimam haberet veniam, si injecta in pelvim suam
pecunia chartam sive testimonium veniae emeret.

Quin & mortuos se à damnatorum pœnis hæc
 venia liberare posse cum ingente audacia dicebat.
 Impudentiore lingua ac exitiosa impietate & in
 hæc erumpebat verba, rubram suam crucem, Ponti-
 ficis insignibus ornatam, indulgentiarum suarum
 lignum & notam, quam ubique secum circumfere-
 bat, parem habere cum Christi cruce in delendis
 peccatis vim atq; *ὑπέσχεσθαι*: Quin imo nullâ prorsus
 poenitentiâ opus esse publicè asseverare solebat,
 cum copiosam omnium delictorum suorum re-
 missionem acquirere possit is, qui saltem chartas ab
 ipso indulgentiæ certo pretio emeret, eâq; abditas
 secum retineret.

Lutherus
 Tecelio se
 opponit.

His execrandis blasphemijs & lædi majestatem
 æterni Dei, & veritatem coelestem intelligebant:
 multi, ex his rapinis Reipublicæ detrimenta appa-
 rebant manifesta; neminem tamen ausum fuisse le-
 gimus, qui liberam emitteret vocem, & contradi-
 cendo fraudes has improbasset. Ibi Martinus Lu-
 therus, qui Theologiam publicè doceret Wite-
 bergæ, ardenti Zelo incensus, omni contentione his
 nugis resistendum arbitrabatur. Propositis igitur
 de ijs rebus ad disputandum quibusdam capitibus,
 falsa & absurdissima esse Tecelij ludibria ostendit,
 ad majorem tam ardui negocij animadversionem
 alios commovit, & hoc effecit, ut contempto Tece-
 lio vanitas Indulgentiarum redderetur evidentior;
 Lux verò doctrinæ Evangelicæ apparere & singulari
 approbatione arripi inciperet, atque ita ex tenui
 initio verbi divini splendor, dignitas, potentia &
 maje-

majestas in omnes Germaniæ partes & vicina regna
diffunderetur.


Cum idolatria Baalitarum, quam suo tempore
vidit Elias, etiam sceleratæ Jesabelis truculentiam ^{Jesabelis &}
& tyrannidem sensit, qua non tantum necem pijs ^{Rom: Pontif-}
minari, sed sævire etiam solebat in eos, qui repudia- ^{ficis compa-}
tis superstitionis eius sacrificiis vero Deo servirent. ^{ratio.}
Eodem prorsus modo Lutheri tempore Romana
Jesabel sævissimam in eos, qui flexis genibus impie-
tatem eius osculari volebant, crudelitatem exercuit:
Assertionis hujus exempla historiæ suppeditant.
Heimburgus & Proles, sacrae Theologiæ Doctores, ^{Exempla sæ-}
cùm paulò ante Lutherum nefariam Romanensi- ^{vitæ Ponti-}
um vitam indicijs quibusdam improbassent, ex ^{ficis in pios}
communicationis fulmine percussi sunt. Vesalia ^{ante Lu-}
& Brulifer ut Hæretici ob eandem causam damna- ^{therum.}
bantur. Paulus Scriptoris, & Doctor Sebastianus,
Erfurdensis, celeri edicto in exilium sunt pulsi.
Doctor Pfennig in squalido carcere non modò
miserè perijt, sed & cadaver eius, quod Papæ contra-
dixerat, in sepultum ibi computruit. Antonio
Mancinello vivo qui Grammatica præcepta Hero-
ico carmine descripsit, ambæ manus amputaban-
tur. Savanarola, Dominicus, Sylvester, alijque
complures igne cremabantur. An non hæc Tyran-
nis est, & Jesabelis illius speculum?

Cum autem Lutheri scriptis & concionibus ^{Post Lu-}
Pontificij regni impietas & crudelitas detecta labe- ^{therum.}
factari, & ex fastigio summo deturbari inciperet,
ingentes minas & flammæ spirabat Pontifex, & ful-

mine, rota, gladio, igne & aqua sævire conabatur sine discrimine in omnes, quos vel paululum sibi adversantes audivisset, ideo Henricus & Iohannes illi Brussellenses, Frater Henricus in Diethmar, Dominus Matthæus VVeibel apud Campenses, Johannes Hugli à Lindau, Leonhardus Keiser, Adolphus à Clarenbach, Wilhelmus à Zwollen, & permulti alij, insidijs & odijs Pontificis graviter sunt vexati, & miserandum in modum interfecti.

Pontifex
Lutheri sanguinē sicit.

Ipsam Lutherum quoque Pontifex Leo X. quemadmodum ad parricidium hoc Cubicularium suum Carolum Miltitium, Germanum, miserat, Romam deductum perlubenter vidisset, ubi *πυρρωλεία*, vel alio inaudito tyrannidis exemplo sanctum Prophetam ob veritatis declarationem sustulisset. Jesabelica hæc est crudelitas, quam propriam sibi fecit Pontifex Romanus, qua se simili cum illa furore agi, simili causa odij inflammari, & similem Prophetam trucidare cupere ostendit; Quapropter & similem cum illa habebit exitum, qui fuit tristis & execrandus.



Miracula in
historia Eliæ
& Lutheri.

Quartò & opera quædam in Eliæ historia extant insolita & arcana, quorum naturalis causa assignari poterat nulla, ac proinde admirationem afferebant vehementem apud cunctos, undè & miracula appellantur. Si igitur miraculis Elias fuit insignis, etiam Luthero ut hac in parte aliquid tribuamus necesse

necesse est, si nostræ inter hos comparationis institutum absolvere volumus: Ac videntur quidem miracula in Lutheri vita adesse nulla, cum illorum de Elia legantur multa: Continuum tamen rerum gestarum seriem, & summa in his momenta attentius consideranti, etiam miraculorum ratione maximam inter Eliæ & Lutheri personas & ministerium esse convenientiam, fit manifestum, idque Exemplorum commemoratione probabitur, quorum primum est inopinata defensio, qua in maximis periculis uterque servati sunt divinitus.

Ac hîc recensendo indicare possem sceleratum **Exempla** Judæi istius Michaëlis à Posen conatum, qui, ut divina **pro-** veneno Lutherum tolleret, emissus fuerat: Post **tectionis in-** fem addere, etiam alium quendam extraneum, **Luthero,** singularem mentiendo benevolentiam, tandem & in culina Lutheri, ut in necem ipsius esculenta inficeret, fuisse deprehensum; & paulò post alium etiam sicarium simulatâ amicitia Lutherum officij causa ad ædes usque suas sequi, illumque ex recondita sub vestibus bombardâ ferreo telo prostrernere voluisse; Lutherum autem sanctorum Angelorum custodia munitum, patefactis fraudibus semper incolumem evasisse.

Sed cum hæc & specialia sint, & ex aliorum scriptis cognoscantur: mihi verò ea protectionis divinæ exempla notare incumbat, quæ congruentem & manifestam cum Eliæ historia habent similitudinem, prioribus illis omissis afferam, quæ hæc pertinent.

Ea sunt

ur
bi
n-
h-
m-
ci-
ol-
cis
n-
X.
la-
o,
et,
n-
m-
m
m
ili
&
it;
n,

nt
ri
nt
p-
is,
us
e

Elia in m-
ximus per-
cuius d-
tus d-
dicit
1. Reg. 17.
2. Reg. 1.
v. 17.



Ea sunt eiusmodi, quòd in maximum Elias apud regem Achabum odium incurrerit, ob fidem & diligentiam, quam *ἀντιπροσέτιος* in docendo præstiterit. Cum enim impium regem magna libertate objurgaret, ac triennij siccitatem & famem ei denunciareret, conturbationis & everfionis honestæ disciplinæ à Rege, ut fit, infimulabatur. Elias autem *ἀνελκασθη* quia se defendit, *καὶ ἐπέστρεψεν* culpæ in ipsum Regem retorquet, ac sic vehementius hominem commovet: Et cum præcipua Achabi impietas in absurdissimæ idolatriæ defensione perspiciebatur, disputationem Elias adversus Baalitas petit institui publicam in monte Carmelo, hac conditione, ut duo boves mactentur in sacrificium, alter à Baalitis, alter ab Elia: & cuius partis Deus ad preces suorum igni cœlitus misso, absumturus esset victimam, is verus Deus esse pronunciaretur, altero Deo repudiato, tanquam commentitio. Accipiunt adversarij institutum certamen, paratur sacrificium, & vni ac soli Eliæ Baalitarum magnum agmen, octingenti nimirum & quinquaginta, opponuntur: Cumque ex Baalitarum precibus, quantumvis superstitionis ceremonijs & intensis votibus ingeminentur, sole clarius apparebat, Baalem, ipsorum Deum esse *ἀνεργητον καὶ ἀπειρον*: ad Eliæ verò invocationem ignis mirandum in modum de cœlo delapsus, sacrificij carnes, probè prius madefactas, succendisset, & eas consumendo demonstrasset, Israëlis DEUM solum, verum, & *παντοκράτορα* esse Deum; Elias statim Baalitas, teterrimæ idolatriæ convictos, ut eorum errorem confutaret, Heroico zelo macta.

Eliæ conciliū in monte Carmelo.

1. Reg. 17. v. 1

1. Reg. 18. v. 17.

maestavit, suos verò auditores in vera erga Deum fide confirmavit. Indignissimè tulit Jesabel hanc Baaliticorum sacerdotum, quos ipsa aluerat, necè, *1. Reg. 19. v. 1* quam ex diligentissima tacitùs commoti mariti commemoratione, delatione, & insufurratione didicerat: (cèdis enim illius annunciationi non per *וַיִּדְבַּר*, sed per emphaticum illud verbum *וַיִּבְרַח* in textu exprimitur, quod eiusmodi indicationem denotat, quæ absque singulari mentis affectione fieri nequit) & furere nunc incipit, & mortem Eliæ minatur. Sævissimum & exquisitissimorum suppliciorum plenum fuisse nuncium hoc, inde appâret, quòd Elias periculum declinando in summa consternatione fugit, & placidam in deserto mortem à Deo petit.

Benignissimus verò Deus noster pro inexhausta misericordia sua in omnes, qui ipsi fidunt, Eliam non modò servavit, sed & miraculosè servavit; dùm *1. Reg. 17. v. 16.* volucres (maximè rapaces & gulosissimæ (corvos dico) ex Dominico præcepto naturam transmabant, & alimentum justo ministrabant. Pavit in *1. Reg. 17. v. 9* super Deus Eliam tempore inediæ per viduam Sareptanam, & per Angelum: Postremò immediatè *1. Reg. 19. v. 5* *1. Reg. 19. v. 8* sola virtus divina eum sustentavit, ut ad dies quadraginta jeiunium absque omnibus alimentis extenderet atque continuaret, ad munus pristinum illum revocavit, & sua eum manu adversus Jesabelis furorem in nunquam periturum apud posteros auxilij sui exemplum protegit, & solando corroboravit.

D

Conf.

Luther⁹ in
summis pe-
riculis divi-
nitus fuit
defensus.

Eccius cum
Luthero
disputat.

Consimilia prorsus etiam Lutheri temporibus acciderunt. Invenerat ille impiam & blasphemam Pontificiorum doctrinam vbiuis locorum; videbat eam acriter à summis etiam defendi viris. Summè igitur & acriter illos increpabat Lutherus, qui ob id hæreseos & seditionis autor criminabatur. Ille hoc negabat, objectum crimen de Romanensibus veriùs dici ait, seseq; veræ doctrinæ vindicem & professorem esse ostendit, & disputando rem aggreditur. Ibi infinitus numerus Monachorum uni & soli Luthero se opponit: Gloriosus Eccius ex omnibus vnus, ut ceu invictus athleta cum Luthero congrederetur, electus fuit, hic primo adventu, quemadmodum de milite Plautino parasitus prædicat, uno se spiritu difflare adversantes disputationes posse existimabat. Sed cum *ἀδύνατος* illi esset, rem falsam & superstitiosam solidis fundamentis defendere, Baaliticam cum tota caterva sua expertus est Eccius fortunam, ut detestanda Antichristi doctrina quasi quodam fulmine cœlitus demisso prosterneretur; verbi divini autem doctrina ab impijs commentis atque erroribus vindicaretur, ac subindè successum atque exitum salutarem haberet.

Accepta clade hac insanire, & incitatorum Leonum more furere visus fuit Pontifex Leo, nominis istius decimus. In rabiem igitur accensus, Romam venire Lutherum iussit, poenam, nisi obtemperaret, denunciavit, per Cardinalem Cajetanum Friderico Saxonix Electori injunxit, ut vel Romam mitteret Lutherum, vel ditione sua expelleret: & cum nec hac via res in Lutheri perniciem excogitatæ procederent, Lutherus in omnib⁹ colloquijs, comitijs, & concii-

concijs damnabatur, ac non à Pontifice solùm, sed & ab Imperatore, summo Magistratu nostro, Pontificis instinctu, ut celerius interficeretur, publicè proscriberetur, ac ita Archidamicum bellum, ut est in proverbio, vbi omnia funditùs tolluntur, contra Lutherum à Pontifice movebatur.

Res nequaquam carebat periculo, & ut Eliæ instar lateret aliquantulum contra manifestã vim Lutherus, Wartburgum in desertam arcem prope Isenacam, nemine inter Pontificios fugæ huius conscio, abducitur: ibi tegitur, humaniter alitur, recreatur, ad explicationem rerum necessariarum impellitur; ferocientium adversariorum consilia medijs in tumultibus turbantur, & per totum porrò vitæ periculum mirabiliter defenditur, ut non incommodè juxta Tragœdorum proverbium dicere possimus, Lutherus ἀπὸ μηχανῆς ὑπερφανόμυθου θεοῦ habuit.

Lutheri
Pathmus.

In Eliæ historia & locus exprimitur, in quo divinitùs fuit sustentatus, apud ripam nimirum Chrit, postea & Sareptæ apud viduam. Perjucunda mihi est, & notatu videtur dignissima locorum horum consignatio, & existimare licet, Deum hae descriptione prædicere, & quasi penicillo obscure Lutheri historiã delineare voluisse. Elias Deo mandãte terræ siccitatem sterilitatemq; , & hinc famem Achabo denunciat, ne Rex, ut impij solent, ad causas secundas, vel ad casum calamitates illas referat; sed Dei peccata punientis, justas esse animadversiones intelligat: Sed in initio statim legationis istius Elias evitare fluctibus irarum regis coactus fuit, fugiens itaq; in locum vastum juxta fluentũ Chrit hunc sese abdidit, ibiq; mirabiliter fuit servatus.

Locus, in
buo Elias
fuit defen-
sus.

1 Reg. 17. v. f

D 2

Ita

Luth Wite-
bergæ con-
tra rabiem
Pontificiorū
tutus fuit.

Ita etiam Lutherus, dum plus quam Achabeam impietatem & idolatriam, qua Romanenses erant polluti, docendo ostendit; Videt Pontificis, Imperatoris, multorum Regum, Principum, & omnium Ordinum animos contra se, ceu fluctus marinos, insurgere, ut vix locum habeat, in quo tutus lateat. Venit autem Witebergam juxta Albim, ceu ad alterum Chrit, videt & Albis fluctus, nullis tamen obruitur fluctibus, sed coelitus rigatur, defenditur, & recreatur, licet Witeberga aliarum regionum respectu arenosum & sterile solum esse, & ad tanti viri in tantis angustijs defensionem nihil videatur conducere potuisse.

Exsiccato torrente Chrit, & prementibus regi-
onem istam ærumnis, aliud Elias monstrante Deo
Elia Sarepta invenit hospitium, apud peritos rei metallicæ in ci-
vitate Zarphath sive Sarepta. צֶרֶפֶת Hebræis dicitur
à radice צֶרַף, quod est metalla excoquere, & à sco-
rijs purgare. Cùmque locus ille venarum metal-
licarum dives esset, tota civitas ab officinis illis fu-
forijs Sareptæ nomen accepit. Hæc proscripti Eliæ
ad tempus domicilium fuit, huius civitatis fodinæ
nutrire apud viduam tenuiter quidem, sufficienter
tamen, & munire timidum Eliam potuerunt. Ita
etiam proscriptus Lutherus in patria sua, quæ pro-
pter fodinas metallicas revera altera Sarepta erat,
receptaculum cum Ecclesia sua invenit, & civium
suorum auxilia & beneficia usque ad extremum vi-
tæ halitum liberaliter expertus fuit.

Luthero pa-
tria sua fuit
Sarepta.

Ad pro-

Ad protectionem divinam, qua tutus fuerat Elias, alia etiam accessit, interveniente nimirum medio quodam, Obadia, Achabi ministro & viro pio. Quemadmodum igitur hic non sine capitis ac vitæ periculo centum Prophetas, quos Jesabel persequebatur, neci subtractos in speluncis absconderat, eosq; pane & aqua sustentaverat; Ita Eliam quoque verâ benevolentia complexus fuit, vicem eius doluit, implacabilem Regis iram ei indicavit, modos sæviendi in ipsum aperuit, & amicissimum cum eo colloquium instituit, in quo, ut etiamnum fugiendo sibi consulat, & vitæ suæ parcat, eum hortatur. Piè itaq; statuens Obadiah id, quod & in græco Senario dicitur: Ἰδίας νόμιζε τῷ Εἰλωρ τὰς συμφορὰς: omni studio, benevolentia & amore instituebat ea, quæ ad protectionem, liberationem & promotionem Eliæ facere videbantur.

Elias amicos habuit, qui ei profuerunt. 1. Reg. 18. v. 3

Pari felicitate in suis difficultatibus & noster suos habuit Obadiah, qui erant amici fideles & probati. Hi, secundum Hebræum nominis etymon, עבֵד, servos Dei se esse secum perpendentes, Lutherum certè, selectissimum ad reformationem Ecclesiæ organum, se ipsis chariorem habuerunt, vitamque suam neglexerunt, modò Lutherus in negotio tam sancto contra sævissimam univèrsi regni Pontificij rabiem, tutus sit, & ad cœlestis veritatis agnitionem perducere nos pergat.

Luth. amici, promotores & defensores.

Ex numero verorum Lutheri amicorum fuerunt inter Principes, Elector Fridericus, quem cognomento Sapientem; Johannes, quem Probum; Johannes Fridericus, quem Constantem & Martyrē

historiæ

historiæ appellant. Inter Comites fuerunt Nobiles Domini Mansfeldenses : Inter Nobiles, Huldricus Huttenus, Fabianus à Feclitzch, & Hartmannus à Cronberg: Ac constat Huttenum, qui & eruditione & armorum studijs clarus erat, præ reliquis nobilibus mordicus Lutheri doctrinam contra alios defendisse, ut multa audacter & liberè in Pontificios, multa etiam in Principes & Magistratus civitatum scriberet. Ad Cronbergerum verò Lutherus sæpius misit literas, illarum habemus exemplum in secundo tomo germanico operum Lutheri, quod specimen est singularis Cronbergeri in Lutherum fidei & studij. Dies me deficeret, si Georgij Pontani, Philippi Melanthonis, & aliorum industriorum virorum animos, optimè Luthero consulentes, enumerando recensere vellem. Sufficit hac delineatione indicasse, uno eodémque inter sæua pericula modo Eliam & Lutherum à Deo fuisse conservatū, quam defensionem si quis divinum esse miraculum negaverit, eum & cæcutire, & superbire, addo & insanire meritò dicimus.

Elias resuscitavit mortuum,

I. Reg. 17.

v. 20.

Deniq; Elias etiam Filium viduæ Sareptanæ, hospitiæ suæ, à morte exsuscitavit. Ingens jam tum res hæc est miraculum, & ἀπὸ νεκροῦ quid, mortuum hominem in vitam potuisse revocari: celebrius autem & magnificentius hoc est restitutæ vitæ exemplum, dum hanc omnium primata defuncti hominis resuscitationem esse legimus, quæ quidem in sacris Biblijs recitatur. Eliam itaque jam ob admirandam protectionem divinam celeberrimum, miraculum hoc, quod edidit, celebriorem reddidit.

Non

Non minor nec obscurior fuit Lutherus, sed Quomodo
 fortassis etiam hac in parte *Σουσιτόνης*, aut saltem Lutherus in
 Eliæ par. Licet enim Lutherus nullum unquam, mortuos
 qui ex gravissimo morbo vitam cum morte com- suscitaverit
 mutaverat, resuscitaverit, & quasi redivivum addu- rit.
 xerit: ex morte tamen verè revocavit homines in-
 numeros: mortem autem intelligo horribiliorem,
 quàm quæ corpori vitam eripit, mortem illam ani-
 mæ, quæ luctuosa conscientia carnificina erat ex
 Monachorum tyrannide, spinosâ in admiffa peccata
 inquisitione introductâ, ubi suppressa mentione
 vulnerum Christi, quibus è faucibus Diaboli nos
 liberavit, morientes dubitare de Dei erga se boni-
 tate, & ad defunctorum intercessionem confugere
 jubebantur: Vnde factum est, ut plurimi conta-
 bescendo extinguerentur, & verè deinceps alijs
 quoque tali modo moriendum fuisset.

Lutherus autem solidè refutatâ & eversâ et-
 iam doctrina hac, homines ut in omnibus cala-
 mitatibus, ita in mortis quoque momento, ad
 solius JESU CHRISTI, Filij DEI & ho-
 minis, præsidium confugere, immensam eius bo-
 nitatem & misericordiam implorare, & certam atq;
 infractâ vim contra damnationem sperare docuit,
 & hanc artem ex verbo Dei vivis & expressissimis
 testimonijs demonstrando confirmavit. Libivis igi-
 tur locorum homines magno desiderio doctrinam
 hanc audire cupiebant, auditam tenacissimè retine-
 bant, ac per eam se ceu moribundos suaviter recre-
 ari, imò ex mortis faucibus revocari sentiebant.

Quem-

Vis lectio-
nis scripto-
rum Lu-
theri.

Lutherus
Myconio
longiorem
vitam à Deo
impetrat.

Dona Dei,
quæ Elias &
Lutherr^o in
docendo ha-
buerunt
paria.

Quemadmodum etiamnum Lutheri scripta attentè legentibus accidit, ut se verè ex ijs affici, & totos immutatos videant, efficacissimam consolationem percipiant, ut etiam absq; gemitibus & lacrymis absolvere lectionem vix possint. Et quid hoc est aliud, q̄ quod etiã Lutherus in Papatu mortuos resuscitaverit? Quamvis non rarò etiam graviter decumbentibus & morti jam vicinis sanitatē apud Deum impetraverit, ardentissimis precibus suis apud Deum intercedendo, ut pro sua clemente voluntate, inq; suæ Ecclesiæ utilitatem longiorem illis vitam largiretur, cuius rei in Friderico Myconio, Ecclesiæ Gothanæ pastore, evidens exemplum historiæ recitant: & legant, qui volunt, de hac re ipsum Lutherum in tomo septimo operum Germ. Jenensium, mihi fol. 493. b. Sed præter expectationem prolixior fui in hoc capite, miraculorum ratione Eliam & Lutherum esse pares, quæ quidem miracula vtriusque ministerij tempore facta esse legimus. in sequentibus ero brevior.

✠ V. ✠

Ac quales quidem Elias & Lutherus fuerint, quidq; docuerint, audivimus hæctenus. Quintò deinceps & de Spiritus sancti in docendo donis aliquid dicendum fuerit, quæ sunt singularia, quæque quædam secum trahunt, & vim ostendunt in muneris executione planè divinam. Vberimus hîc de negotijs gravissimis mihi datur differendi locus, ut, si de singulis, quod res est, dicere instituerem, non Oratorum more commemorando præcipua explicarem, sed integra recensione totū librum

brum conscriberem: Sed vela, quod dicitur, contrahendo, dona amborum Prophetarum breviter indicabo, si septem præcipua Spiritus S. dona, quibus excellentes in Ecclesia ornat viros, consideraverimus.

Donorum illorum primum secundum Esaiam est Sapientia. Eximium est hæc donum Dei, & mentis sive intelligentiæ significat excellentiã, ut Esaiæ radix חכמה indicat: habent quidem omnes homines mentem & rationem, sed excellentiam rationis, quæ in cognitione causæ cuiusq; rei consistit, non omnes habent: proinde nec omnes possunt Sapientes nominari. Eliam autem & Lutherum præ cæteris Sapientes fuisse, ostendit dexterrima rerum tam divinarum quam humanarum in ipsis scientia atq; cognitio: veram habebant de Deo noticiam, disertè & constanter eã suis proponebant auditoribus pugnantem cum doctrina hac Baalitarum & Pontificiorum opinionem solidè confutabant: ubi disputandum vel agendum aliquid erat cum viris principibus, vel etiam cum iracundis aut callidis, summã quadam adhibita prudentia semper suo satisfecerunt officio, & sacræ scripturæ mentem alijs consimilibus adductis scripturæ locis significantissimè interpretabantur, ut qui hodie etiam in Bibliorum lectione proficere cupiat, studio sapientiæ eorum carere non posse existimandus sit.

Secundum Spiritus Sancti utilissimum in Ecclesia donum דעת ab Esaiã nominatur, quod est res accuratè perpendendo dijudicare & discernere: Latinis intellectus sive iudicium dicitur. Differt à præcedenti dono Sapientiæ, quod hæc res certò co-

E

gnoscan-

1.
Sapientiã.
Esa. II. V. 14.

2.
Intellectus.

gnoscantur aut agantur luce quadam mentis: illa verò res inter se similes aut dissimiles prudenter discernantur & dijudicentur, penitus consideratae.

Eliæ intel-
ctus.

1. Reg. 21.

v. 21.

2. Paral. 21.

v. 15.

2. Reg. 1. v. 4.

2. Reg. 2.

v. 10.

Lutheri ju-
dicium de
rebus acre.

Erasmi de
Luthero te-
stimonium.

Ac fuisse Eliam hac in parte excellentem, res gestæ ipsius testantur. Speciosissima Baalitarum erant sacrificia, ijs nunc membra lacerantibus, ac sanguinem cultris & lanceolis elicientibus, nunc magnis clamoribus opem Dei sui implorantibus; facilimè tamen Elias Baalitarum & hypocrisin & errores, & horum causas & fines perspiciebat, ac manifesto experimento cõfutabat, Veri autè Dei gloriam dictis & factis asserendo declarabat; impio Achabo interitum & tristem posteritatis ipsius deletionem: Iesabeli verò caninam mortem & sepulturam prædixit: bellum cum suis effectibus, infirmitatem & infelicitatem Joramo Regi per epistolã denunciavit. Ahasiam morbo incurabili extinctũ iri indicat. Eliseum discipulum suum de donis spiritualibus ad functionem necessarijs scitè erudit: Atque hæc omnia acris Eliæ iudicij manifesta sunt testimonia.

Similiter & Lutherum acerrimi iudicij Doctorem fuisse apparet: nam quis quæso inde à D. Pauli temporibus usque fuit, qui hoc ipso Luthero nostro Verbũ Dei plenius intellexerit, dilucidius docuerit, & dexterius explicaverit? Claros quidem scriptores Ecclesiasticos recensere possumus aliquos, Luthero autem superiorem neminem, quod & præcipuorum suorum adversarius Erasmus (anno 1520. coram Marino Caracriolo & Hieronymo Aleandro, Põtificis nomine operam suam in cõfutandis scriptis Lutheri conducentibus) rei evidentia convictus ultro

con-

confessus fuit, negando se Lutherum posse confutare, licet majores etiam ei opum accessiones, quam quæ jam ipsi oblatae essent, promitterentur.

Beneficio intellectus sui Lutherus distinctè & clarè proposuit omnia, ut manifestum esset & notanter intelligeretur, quod docebat. Exempli gratiâ consulatur locus de Lege & Evangelio: obscuratâ in regno Pontificio, & suppressam doctrinâ hanc Lutherus certè perspicuam & dilucidissimâ nobis reliquit. Considerate obsecro, & cû admiratione intuemini spiritum intelligentiæ ipsius, qui in Germanica Bibliorum expositione apparet: Versiones Bibliorum in omnibus linguis sunt humanæ, non sunt ipse fons, & sæpè aberrant à genuino sensu. Unica versio Germanica nostri D. Lutheri verè germana est, & limpidissimus fontis vivifici rivus, ex fonte derivatus, & ad fontem recurrens, & secum fontem ducens, & fontis *ὕψιστον* habens. Proinde ad assiduam ego Germanicorum Bibliorum lectionem omnes hortari soleo.

Lutherus significanter omnia proposuit.

Laus Germanicæ versionis Lutheri Bibliorum.

Poterat etiam Lutherus aliorum consilia & instituta facile nosse: quæ falsa erant, licet callidè & tectè proponerentur, statim ceu Lyncei oculo perspiciebat & rejiciebat: Fatales Germaniæ impendentes calamitates vidit: Cinglium & Oecolampadium tragicè perituros esse animadvertit: conciones & scholasticas prælectiones suas tanta *σαφηνείᾳ* informare & proponere solitus fuit, ut, qui *αὐτοφώνως* ipsum audiverunt, Angelum se vidisse & audivisse dicerent. Similiter & cantilenarum & precatiuncularum compositiones admirandæ, & quæcunque denique Lutherum habent auctorem, Lutheranam etiam intelligentiam & judicij ipsius dexteritatem spirant.

Alia documenta judicij Lutheri.

Lutheri cantilenæ.



3.
Consilium.

Tertium, quo Spiritus Sanctus singularia sua organa armat; Consilium dicitur, quo quis in rebus dubijs & difficilimis, quid ex re sit, quidq; statuendum fugiendumve sit, ratiocinando ostendere potest: Hoc enim vult Esaiæ dictio $\eta\psi\psi$ à radice $\psi\psi$ ubi Spiritum Sanctum Spiritum Consilij nominat, & indicatur consilium nequaquam vulgare vel vanum, sed quod firmum est, rationi consentaneum, & dignum, quod alij sequantur, quale græcis $\alpha\gamma\iota\omega\mu\alpha$ est.

Cōsilia Eliæ.

Talium Consiliorum documenta in Eliæ historia extant evidentia: dum Spiritus Sancti motu censeret oratione triennij siccitatem & famem esse averteendam: dum viduæ Sareptanæ ostendit, quid ei faciendum sit, ne cum filio fame pereat: dum denique nimium grassante Idolatria monstrat, unde Baal commentitium idolum esse, evidentissimè colligi debeat.

Consilia Lutheri.

Eodem modo Lutherus quoque suis temporibus prudentissimis consilijs Ecclesiam juvit. In celeberrimo conventu, q̄ anno millesimo, quingentesimo trigésimo Augustæ in arduo religionis nostræ negotio celebrabatur, Lutherus certè gravi prudentissimorum virorum cēsura Coburgi detinebatur, ut in propinquo nostrarum partium Principes eum haberent, suisque consilijs uterentur: Siquidem absque Lutheri suasu & consilio, apud quem Spiritum Consilij abundanter animadverterāt, in gravissimo negotio hoc nihil concludendum esse decreverant. Sic & aliās omnium Ordinum homines in suis rebus ad Lutherum, ceu ad commune oraculum, confugisse, saluberrima ejus consilia expetivisse & audivisse.

Cur Lutherus Anno 1530. in conventu August: Coburgi detentus fuerit.

audivisse legimus, ut verum de eo dictum sit, quod Zenodotus ex Epicharmo refert: *σὺμβουλὸν ἱερὸν ἔχοντα*, id est, consultor res sacra.

Quartum Dei donum, quo Elias & Lutherus fuere excellentes & pares, Fortitudo; ab Esaia autem *הַנְּתִיבָה* dicitur, à radice *נָתַב*, quæ vox ad robur quidem propriè refertur, sed tamen & potentiam, virtutem atque auctoritatem alicuius denotat, ut intelligatur vir strenuus & Heroicus.

4. Fortitudo

De Eliæ Heroica fortitudine testantur sacræ literæ, indicantes, quòd acriter obiurgaverit impium regem Achab: vehementi Zelo falsa dogmata oppugnaverit; Baalitas mactaverit: Ahasiæ Regis legatos igne cœlesti perdiderit, & quæ sunt alia fortitudinis & auctoritatis Eliæ documenta.

Eliæ heroica fortitudo.

Lutheri magnanimitatem & animi præstantiam similiter probant nostri seculi historiae. Anno 1518. Cardinalis Cajetanus Augustæ magnis promissis & minis cum Luthero egit, ut, quæ scripsisset, retractaret, Luthero verò, nisi ex Scriptura cõvictus esset, facere se hoc posse negante; Cardinalis per contemptum hunc in modum allocutum fuisse Lutherum fertur: Putásne hominibus, principes Germaniæ tuam causam acturos, te defensuros esse, tuaq; causa omne Romani Pontificis odium in se derivaturos esse? nunquam hoc fiet: ubi igitur manebis? Lutherus vicissim magno & alacri animo ait: Sub cœlo. Apophthegma est hoc elegans, dignum interrogatione superba, & deridens Cardinalem suis viribus fidentem. Maius fortitudinis in Luthero apparuit Exemplum anno millesimo quingentesimo

Lutheri animus fortis.

Cajetani cõvictus Luthero colloq.

Fortis Lutheri animus

in comitijs
Wormacen-
sibus.

O R A T I O I.

simo vigesimo primo, in quo sub Cæsaris publica fide Wormaciam ad comitia profectus fuit. Cum autem constaret, ex falso Pontificios axiomaticè concludisse, Luthero, ut hæretico, fidem datam servandam non esse; metuerè cœperunt nostri homines insanam hostium tyrannidem, & impendens sibi periculum ut vitaret, & à suscepto itinere deflecteret, Lutherum monuerunt: ille vero & rei magnitudinem, & se ad reddendam rationem doctrinæ suæ vocatum esse secum perpendens; urbem se ingressurum esse non tantum dixit, sed & firmo animo ad Georgium Spalatinum scripsit, etiamsi tot in urbe essent Diaboli, quot tegulæ in tectis conspicerentur. Hanc animi alacritatem hostes deinde formidarunt, & omnes boni etiamnum mirantur & comprobant.

Plura virtutis hujus exempla ex historijs lector colliget, si consideraverit, quæ anno vigesimo secundo ad Electorem Fridericum; anno vigesimo quarto contra Imperatoris edictum; anno trigesimo ad Lazarum Spenglerum, quæ etiam denique ad Ducem Georgium, acerrimum Regni Pontificij defensorem, scripsit; in quibus literis Principem illum, ob vanos contra Dei Verbum conatus, hominem bullam nominat, quod hodie alius quispian ne vel cogitare quidem auderet.

s.
Scientia.

Est quintò & scientia Spiritus sancti peculiare, in magnis viris donum, quod קִיָּנוּ nomine ab Esaia describitur, à radice קָנָה . Notitia hæc est certa, quæ à mentis acumine proficiscitur, & experiendo addiscitur. Cum igitur Elias & Lutherus certò cog-
nove.

noverunt, eorū doctrinam verè esse Dei Verbum, & efficacissimam doctrinæ hujus in auditorū animis vim, Diaboli verò miras ad evertendum eorum propositum insidias animadvertendo deprehenderūt, dono scientiæ eos ornatos fuisse rectè concludimus.

Sextum Spiritus sancti donum Timor DEI appellatur. Ex radice ΝΥ autem apparet, de ejusmodi Esaiam loqui timore, qui cum submissa veneratione & reverentia erga Deum est cōjunctus. Sive nunc Eliam cōsideraveris, sive Lutherum, utrumq; videbis cū religione quadā eccellente extimuisse Deum, ut nihil, nisi quod à Deo ipsis mandatum fuerat, susciperent, proinde & eosdem sibi ipsis pares esse meritò dicimus. Si Deus Eliam jam tum moestū in desertum discedere juberet, obediebat ei promptè: Si illinc in urbē Sareptam eum abire juberet, faciebat & id; Si in aulam eū redire, & irato Achabo occurrere juberet, obtemperavit sedulò, & quæcunq; grata Deo esse sciret, cum timore, quoad potuit, effecit. Quemadmodum & Lutherum simili cum reverentia in omnibus præceptis Dei versatum esse scimus; eumq; ne Christum amitteret, néve scribendo vel loquendo quicquam tentaret, quod Christo redemptori nostro displiceret, maximopere caruisse legim⁹.

Et cū Spiritus S. septiformis dicatur munere, est septimum ejus in claris viris donum Pietas. Pietatem autem hanc appello εὐνοίαν illam, & εὐεργετικὴν animum, quo alijs quoque inseruimus, eosq; nostris officijs ceu opportunâ pluvia quadā rigamus, ut & ii quasi germinare & cōmodè vivere possint: quam virtutem πρακτικὴ φιλία Plato appellare solebat.

Sedu-

6.

Timor Dei.

7.

Pietas.

Sedulus hac in parte erat Elias, cum Baalitarum religionem dissipando id unice ageret, ut ad verum Dei cultum suos auditores reduceret; pererat humanus erga Eliseum reliquosq; suos discipulos, gratissimus erga suos benefactores, quinquaginta Ahasia legatis, horrendum supplicium deprecantibus, parcebat, & singulis prodesse cupiebat.

Tractat: ad Germanos vide tom. 5. german. Ien. 1. 11. f. 290. b
Tractat: de Magistratu, vide tom. 2. ger. Iē. mihi fol. 193. & t. 3. f. 127. b
Literæ ad Albertum Card. sunt in tom. ger: Ienens. mihi fol. 221. b & f. 583. eiusdē tom. & t. 5. fol. 110. b
Literas ad Duc. Georg. vide Tom. 3. germ. Ien. fol. 208. & t. 4. f. 562. b
&c.
Eli: doctrina

Similem animum habebat Lutherus, quem luculenter ostendit in libello illo, quem ad charos suos Germanos, ut loqui solebat, scripsit. Magistratum politicum suis scriptis ornavit, & contra Pontificios defendit: mœstos & calamitatibus pressos consolando erigebat, & non amicorum tantum, verum inimicorum quoque suorum commoda studiose quærebat, cuius rei evidens habemus testimonium in literis, quas ad Albertum Cardinalem, & Ducem Georgium misit, licet æquè nihil scribendo effecerit, ac Elias sua epistola Regē Ioramum ad pietatem & saniozem mentem reducere non potuit.

Septem hætenus recensui Spiritus Sancti dona, non quòd in has duntaxat septenarij numeri angustias illa redigere velim; Sed cum multa & varia Spiritus Sancti sint χάρισματα, hæc potissimum, quæ audivimus, in eorum animis ab eo dico excitari, quos in Ecclesia præstantes et Heroicos viros esse ordinat. Atque hæc de donis Spiritus Sancti, quibus Elias & Lutherus fuerunt pares.

¶ VI. ¶

Sextò & in doctrina fuerunt pares. Joannem Baptistam cum spiritu & virtute Eliæ suum facturū officii.

officium, Angelus Dei affirmavit : Johannes autem Luc. I. v. 17.
 Legem & Euangelium docuit, ad pœnitentiam in-
 vitans omnium ordinum homines; vehemens erat
 in taxandis vitijs: suavissimus autem in erigen-
 dis animis eorum, quos peccatorum mole oppres-
 sos, ac liberationem ab his optare videbat. Eviden-
 ter itaque hinc colligitur, Eliam quoq; eodem do-
 ctinæ genere, eademq; in illo usum methodo fuisse.

Jam Lutherum quoque de Lege & Euangelio Lutheri do-
ctrina.
 doctrinam apertissimè proposuisse, tam est mani-
 festum, ut nulla probatione huius rei opus sit, cum
 libri ipsius in omnium sint manibus, & rem sic se
 habere clarè ostendant. Ego profectò nullum in-
 venio, qui de peccato, de ira Dei adversus peccata,
 de morte, de inferno, & quæ præterea ad declaran-
 dam vim Legis pertinent, severius & gravius quic-
 quam, atque Lutherus fecit, dixerit aut scripserit;
 Fulminari, lacerare, diruere, & perumpendo pro-
 sternere videtur, quæcunque Deo se non subicere,
 nec majestatem eius revereri volunt. Vicissim et-
 iam nullum habemus Doctorem, qui hoc ipso Lu-
 thero, maiore euidencia, aut suavioribus verbis do-
 ctinam Euangelij, & cum hac ineffabilem Dei mi-
 sericordiam, & gratuitam per Christum peccato-
 rum remissionem nobis proposuerit, inculcaverit,
 & docendo Christum cum beneficijs suis nobis in-
 stillaverit. Et hoc est *ὡς σέ φησιν καὶ δὴ αὖ πατέρας ἐπὶ τέκνα*,
 ut inquit Angelus apud Lucam. Dum enim Lu-
 therus dulcissimam afferebat de gratuita remissione
 peccatorum doctrinā, quam sola fide & certa fiducia Luc. I. v. 17.
 in Christum p nobis crucifixum assequi possemus;

F

Ponti-

Pontificis verò indulgentias, Sanctorum intercessionem nihil quicquam ad justificationem nostram facere demonstraret; atq; hæc fidei nostræ capita etiam pueris in Catechetica doctrina proponerentur: etiam patres & seniores cum pueris doctrinā hanc arripiebant, rejectis Pontificum ludibrijs eam ediscebant & amplectebantur: Et hoc modo secundum Lucam patrum corda revera ad Filios & fidem eorum in Christum, vnicum Salvatorem nostrum, conversa sunt. Rectè itaque Lutherus etiam hac in parte Tertius Elias dicitur.

VII.

<p>Elias vivus in cœlum raptus fuit.</p>	<p>Ultimò aliqua etiam est Lutheri cum Elia comparatio, cum amborum ex hac vita discessum, & res, quæ ab eorum seculis sunt, ponderando consideramus. Elias currum ignis & equos igneos ad se venire vidit, quos non expavit, sed cum gaudio eos inscendit, & vivus in cœlum raptus fuit. Tale quid cum Lutero quidem factum non fuit, sed aliorum potius hominum more mortuus fuit, ita ut vitam hanc, quam anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio Islebix die Martini à Deo acceperat (quo die etiam Savanarola ob confessionem de Christo Florentiæ combustus fuit) ibidem anno millesimo quingentesimo quadragésimo sexto, die Concordiæ, Deo placidè redderet: Corpus verò eius honorificè Witebergam deductum, sepultum fit: Nihilominus tamen anima ipsius in eundem locum illum, quo Elias vivit, in regnum nimirum</p>
<p>Quomodo Luth: mors cum raptu Elia in cœ- lum confer- ri possit:</p>	<p>anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio Islebix die Martini à Deo acceperat (quo die etiam Savanarola ob confessionem de Christo Florentiæ combustus fuit) ibidem anno millesimo quingentesimo quadragésimo sexto, die Concordiæ, Deo placidè redderet: Corpus verò eius honorificè Witebergam deductum, sepultum fit: Nihilominus tamen anima ipsius in eundem locum illum, quo Elias vivit, in regnum nimirum</p>
<p>Lutheri na- tivitas Savanarola Luth: mors.</p>	<p>anno millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio Islebix die Martini à Deo acceperat (quo die etiam Savanarola ob confessionem de Christo Florentiæ combustus fuit) ibidem anno millesimo quingentesimo quadragésimo sexto, die Concordiæ, Deo placidè redderet: Corpus verò eius honorificè Witebergam deductum, sepultum fit: Nihilominus tamen anima ipsius in eundem locum illum, quo Elias vivit, in regnum nimirum</p>

cœlo-

coelorum, ab Angelis fuit deportata. Certa enim Joh. II. v. 27.
 fide & plena fiducia mortuus fuit Lutherus in
 cum, qui dixit: Credens in me viuet, etiam si mor-
 tuus fuerit. ἄξιωμα hoc pronunciauit J E S V S
 C H R I S T V S, Filius D E I & hominis, qui fal-
 lere & mentiri nequit, ut certum sit, vivere in coelis
 cum Elia Lutherum, ad quorum consortium & nos,
 Salvatoris nostri Jesu Christi iustitia & obedientia
 aduti, aliquando cum gaudio evolabimus.

Est & hoc notandum, Eliae abitum difficilima Stat^o rerum
 secuta fuisse tempora, ut ipsa Felicitas cum Elia in in terris post
 coelum avolasse videretur; In statu enim Ecclesia- Eliae & Lu-
 stico Rex Joram religionis reformationem, quam theri abitu
 benè inceperat, non absolvit, sed in vitam relapsus ex hac vita.
 est idololatriam. In Politia Moabiticus Rex facta 2. Reg. 3. v. 1.
 rebellione à rege Israëlitico defecit, unde difficile
 bellum fuit exortum.

Ita etiam post Lutheri obitum ubivis locorum
 omnium rerum status perturbatur, & deteriora su-
 binde sequebantur tempora, & cum Lutherus die
 Concordiae moriebatur, ipsa Concordia cum ipso
 mortua videbatur. Miserè enim jam tum affligenti-
 bus Ecclesiã Pontificijs, etiam Diabolicum illud ge-
 nus hominũ, quod à Calvino Calvinianum appel- Calviniani.
 latur, capitales suas in Christum & Ecclesiam ipsius
 inimicitias denuò ostēdit, sperans, suas se nunc pos-
 se in Ecclesijs disseminare blasphemias. Exarsit in-
 super in Germania bellum, in quo maximo cona-
 mine agebatur, ut penitus deleto Evangelio ad
 Romanæ Sedis obedientiam Lutherani reduce-
 rentur.

Elias fidos
successores
in officio
reliquit.

Baalitæ sublato Elia nunc demum nullo vetante & nemine amplius impediante sui se Idoli cultum restituere posse atque defendere opinabantur: Sed successorem Elias in officio prophetico reliquerat Elisæum discipulum suum; & Ichu, cuius animi impetus omnes erant Heroici, in Regem Israelitarum inungebatur: Ambo ad cõ impietati resistebant, ut & maiora conatum suorum impedimenta, & difficiliore, ac antea factum erat, repressiones Baalitæ experirentur.

Lutheri fidi
successores
in officio.

Homer:
Iliad. x.

Proverb: in
advetsarios
nostros.

Similem fortunam & nostri Baalitæ post Lutheri obitum senserunt. Erat Lutherus Pontificijs & Calvinianis ceu Hector quidam. Vivum Hectorem vehementer Græci metuebant, & vix congredi cum eo audebant: eo autem devicto vehementer exclamant, sibi gratulantur, & in mortuum corpus sæviunt. Sic nostri quoque adversarij Luthero ex mortalium numero erepto, neminem amplius adesse existimabant, qui acriter ipsis resistere posset, certamq; sibi de nobis victoriam pollicebantur: Sed in caducum parietem sese inclinavisse, & lupos se esse circum puteum choream agentes, ut in proverbio dicitur de ijs, qui spe sua frustrantur, miseri homunciones, licet fremebundi, hætenus fuerunt experti. Nam benignissimus Deus noster & nobis aliquot Jehu excitavit, (in quorum numero Illustris: Elector Saxonie Augustus vel præcipuus erat) qui ingenti Zelo & Pontificiorum Baalitas, & deterrimã Calvinianorum colluviem vehementiore presserunt coarctatione, ac si ullam, aliam antea senserunt; ut fraudes, mendacia & machinationes suas
cum

cum summa ipsorum ignominia patefactas, toti posteritati demonstratas, seq; ob eam causam turpiter ex agro Saxonico (Deolaus) exclusos & profligatos esse videant. Reliquit etiam nobis Deus Elias, qui fidi sunt Lutheri successores, qui suis responsionibus adversariorum nugas eluserunt, disputandoque everterunt, ut ex Doctoris Martini Chemnitij, & Doctoris Aegidij Hunnij scriptis est manifestum, cuiusmodi *καταγωνισμῶν* abhuc & à Magnifico Domino Doctore Polycarpo Lysero quotidie sentiunt: Quin & nos singuli parcere ijs nō cessam⁹; & si ego omnium hominum in ipsos odia excitare, & ob execrabilem contumeliam, qua Redemptorem nostrum Iesum Christum afficiunt, omnium animos inflammare contra ipsos possem, nihil quicquam intermitterē, licet nulli simus Jehu, nec belatores tanti, quantos me jam nominasse audivistis.

D. Chemnit:
D Hunnius.
D. Polycarp.
Lyserus.

A Singulis
bonis requiritur vehemens odium in Calvinianos.

Et ut singuli, tam discentes quàm docentes, suum faciant officium, Lutheranam doctrinam tanquam preciosissimum *καμίσλιον* amplectendo custodiant, & fidelium pastorum hortationes observent, nostra vehementer refert. Cum enim Israëlita, Elisæi & aliorum piorum Prophetarum admonitionibus rejectis sua sequebantur consilia, severiore eos Regum iugo Deus coercerebat, ac tandem captivos eos abduci sinebat, cuiusmodi certè divina animadversio etiam nostris hominibus, nisi deposita impietate resipiscant, pertimescenda fuerit.

Pœna sequens contemptum & amissionē doctrinæ Lutherana.

Atque hæc erant, Reverendi & Doctissimi Viri, quæ de Eliæ cum Luthero comparatione disputationi nostræ de sacra scriptura canonica præmittere volebam,

Epilogus
Orationis.

volebam, tum ut meam de hoc argumento sententiam cognoscendo intelligeretis; tum ut vos, juniores imprimis, quibus nuper ad eò Sacerdotium inter nos fuit commissum, ad accuratam, sedulam, & indefessam lectionem tum Bibliorum tum Lutheri scriptorum excitarem, excitatos impellerem, ut res ipsas, & artificium Lutheri in ijs observare, amare, perdiscere, & rationem in docendo imitari stude-
rent. Atque ita bono animo à me proposita fuere hæc omnia, licet orationis genere non tam erudito, quale hic confessus vester expectare visus fuit, & quali in bonarum artium studijs excellentes viri uti solent. Quemadmodum enim Veneris Coe pulcritudo non restinxit posterorum studia, quo minus & ipsi pingendo aliquid efficerent: ita summorum in dicendo excellentia deterrere me non debuit, ut, cum natura mihi multò quam illis minora concesserit, propterea periculum facere detrectarem laboris, studij, diligentiaeq; meæ, & utilissimi argumenti huius explicationem prætermitterem. Si gratas vobis has meditationes meas fuisse intellexero, mihi gratulor, vobis vero vicissim sollicitudinem meam de juvandis commodis vestris sedulo polliceor; Ac in omnipotentis Dei nostri protectionem nos singulas commendo, orans, ut & nos salvos, & operas nostras salutare & felices esse jubeat, ita & in hac vita Ecclesie ipsius prodesse, in altera verò illa cum Elia & Luthero, & alijs beatis celebrare ipsum volumus, & laudes ipsius per omnia se-
cula cum devotissima subjectione ornare,
& commemorando explanare.

D I X I.



Oratio Altera,

IN AMPLISSIMO-
RVM DOMINORVM
PRÆSENTIA, CVM OFFI-
CIVM CANTORIS DN. CHRISTOPHORO

LISBERGERO publicè commendaretur,
coram cœtu scholastico recitata

Dresdæ à

PAVLO LAVRENTIO

Theol. Doct. & Superall.



Vt in hoc Spiritus Sancti hortu, Ludo
vestro, grata DEO dicamus, & vobis
Discipulis, Dei plantis, salutaria
afferamus, hunc in modum
orabimus:

πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἀγιασθήτω τὸ ὄνομά σου.
ἔλθέτω ἡ βασιλεία σου γρηθηθῶ τὸ δέλημά σου, ὡς ἐν
οὐρανοῦ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς τῶν ἁγίων ἡμῶν τῶν ὑποδύοις δός
ἡμῖν σήμερον. καὶ ἄφεσις ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς ὅτι
ἡμεῖς ἀφιέμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς
ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. ἀλλὰ ῥύσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.
ὅτι σου ἐστὶν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δόξα σου, καὶ ἡ δόξα εἰς τὰ
αἰῶνας. Ἀμήν

Nunc audite sequentia:

QUemadmodum ædificia, quorum fulcra
aut vetustate corrupta, aut teredinum morfu
sunt erosa, collabi necesse est, nisi alijs tra-
bibus subductis domum firmes suffulciendóque
munias, ut ruinam pertimescere amplius non pos-
sis: Ita etiam res literaria, pulcherrimum illud to-
tius mundi theatrum, brevi temporis spacio interi-
ret prorsus, si eius fundamenta, quæ revera sunt
Scholæ triviales, non facta nec tecta servaremus:
Sed & nec scholæ vigere, florere, & augere rem lite-
rariam possunt, nisi Præceptores, ut fulcra, eis ad-
jungantur, non industrij tantùm & eruditæ doctri-
næ copiâ eminentes, sed & eiusmodi, qui ὑγιεινότεροι
sunt & ὑπὸ πόνου, ut ferre labores, & pulverem schola-
sticum devorare queant. Quapropter si quæ in
Scholis appârent studiorum incommoda, ex qui-
bus lan-

bus languere scholæ incipiunt, maturè ea sunt removenda, & sanioribus remediis permutanda.

Si nostram hanc scholam consideramus, quam celebrem semper fuisse observavimus, & quam deinceps quoque in existimatione aliqua retinere studemus, sex ea habet præceptores, quorum operibus, ceu fulcris, innititur.

Quartum autem in ordine fulcrum vestrum, quod propter Musicæ professionem cantoris titulo insignitur, partim ætate adeò est consumptum, partim scholasticis laboribus adeò attenuatum, quin & variis morbis continuisque doloribus, ceu teredinibus quibusdam, adeò est corrosum, ut languere & inclinare primum, & remissiùs studiis vestris præesse inciperet: illud idem autem morborum & vehementia & diuturnitate superatum, collapsum iam, & tantum non emortuum ante oculos nostros videmus, nos quidem non absque ingente τῆς συμπαθείας affectu: vos verò commiseratione vera, & animo beneficiorum memore, miserè ægotantem Cantorem vestrum, (qui propter excellentiam in arte Musica & propter Mathematica studia, quæ docuit, non inelegans scholæ huius fulcrum fuit) intueri, & vicissim vestris ipsum debetis precibus juvare.

Ruinam autem studiorum vestrorum revera secum traheret hæc Domini cantoris propter morbum ab operibus scholasticis absentia diuturnior, quam calamitatem vos non cupitis, & nos ne fiat, consultando prospeximus. Attentè igitur amplissimus & prudentissimus Senatus noster totum ne-

G

goci-

gotium secum perpendens, rationes invenit, quibus in manifestum scholæ nostræ usum & incrementum alius in Domini cantoris locum subrogetur: nec tamen Dominus Cantor deficientibus viribus & debilitatis membris, ceu canis ille senex Aesopicus, ad interitum ejiciatur: & quæ debeant esse incumbentem cantorem Amplissimi Senatus perpetua, dum in vivis est, subsidia, opus non fuerit, ut vobis pueris ea significando commemorarentur.

Hoc potius vobis est indicandum, & etiam atq; etiam inculcandum, Amplissimum Senatum & patrum nostrum *ὁμοθυμαδόν, ἢ ἐκ μιᾶς γνώμης* Dn. Christophorum Lisbergerum elegisse, & ut is in hac deinceps schola cantoris officio fungeretur, mecum conclusisse, & me petiisse, ut introductum Lisbergerum præsentando vobis exhiberem, & eum vestrum cantorem & præceptorem esse, renunciando facerem; quod officium, cum sana erant Dominorum nostrorum suffragia, denegare eis propter æquitatem ut non potui, ita, quòd mearum esset partium prætermittere nolui.

Accede igitur Dn. Christophore ad me propius, ut videaris ab omnibus, qui omnibus his præesse debes, ut intelligas, tibi potissimum seriò iniungi, quæ commemorabuntur. Tibi, tibi inquam, inq; fidem tuam cætus hic committitur, non porcorum, sed puerorum; non lascivientium, sed discentiū, cætus inquam puerorum non Atheniensium, qui Philosophicarum tantum doctrinarū disciplinas excolebant, sed Dresdensium, qui cum studiis græcæ & latinæ eloquentiæ
lum-

summa & nervosissima ac perfecta doctrinae nostrae
Ecclesiasticae capita coniungunt, ut & hic & in futuro
seculo sint beati.

Erit officium tuum in schola hac non uniusmodi
illud quidem, ac si nutrix ad lactandum infantem non
ad coquendum, conductam se esse affirmaret; Erunt
tamen potissimum tui partes eae, ut cantor sis,
& chori Musici praefectus, ut arte canendi doceas, ad
harmoniam grauem & concinnam tuos assuefacias,
ut cantus sententias numeris accommodatas in ani-
mos & intima pectorum humanorum penetralia
deferat, in ea tanquam fundat, & ita totum hominem
corripiat & occupet. Ast quale & quantum munus
tibi imponitur? amplissimum certe & gravissimum,
& prorsus divinum beneficium, ad Dei & beneficio-
rum eius erga nos celebrationem nobis datum. Pro-
inde & sancti Angeli cantores sunt, quemadmodum
Angelicæ Musicae specimen in carmine Seraphico
verè *ὑπερωδία* extat, quod Esaias recitat similiter & to-
ta Angelica militia immensa Dei beneficia (quæ, nato
Christo seruatore, generi humano exhibuit) cantico
celebravit. Cantori itaque incumbit, ut cantilenarum
suarum materiam faciat eam, quæ habuerunt sancti
Angeli, id est, ut doctrinam caelestem & præcepta de
veris Dei cultibus, & consolationes divinas, cantilenis
includat, ut altiùs in audientiù corda penetrent, ve-
hementiùs ea moveant, & pios motus verbo Dei re-
spondentes excitent: Quemadmodum Dauidem, o-
mnium Poetarum & *θεοδιδάκτων* Musicorum principem,
doctrinam de Deo ad Citharam & alia instrumenta
Musica, voce sonora & suavi modulatum fuisse vide-
mus,

Cantoris offi-
cium in exer-
cizio Musico.

Cantilena-
rum materiae

Quin & antiquissimi Ethnici hanc canendi artem & materiam vsurpando approbauere, ut apud Theocritum videre est, qui Iouem carmine celebrari iubet. Et Orphei adhuc Musicæ extant vestigia, qui centum & quinquaginta annis Dauidem antecessit, ex quibus vestigiis videmus, Orphea doctrinam de Deo, de natura rerum conditarum, de pietate erga Deum, de præmiis obedientiæ, & pœnis scelerum, eruditissimis carminibus explicauisse, & sua voce ad lyram populis Thraciæ cecinisse. Et quando Virgilius in primo Aeneidos ait: Crinitum Iopam (qui unus ex procis Didus fuisse dicitur) cithara personuisse errantem lunam, solisq; labores, unde hominum genus & pecudes ortum haberent: Quid aliud Poeta vult ostendere, quàm veteres honestissimas de creatione mundi, de siderum motibus, animantium & plantarum naturâ sententias odis suis comprehensas, voce & numeris cecinisse? Vides, quanta gravitas incumbat cantori, ut materias cantilenarum suos doceat eligere & amare bonas, sapientes, & ad pietatis erga Deum ac virtutis studium accendentes.

Harmonia & compositio cantilenarum qualis esse debeat.

Sed non minùs circumspectum ac sedulum esse cantorem oportet in hoc, ut harmoniam & compositionem proponat simplicem, suauem tamen, concinnam, tardam, virilem, gravitate rhythmorû congruentem, affectus & motus permoventem, cuiusmodi artificium appâret in Iosquini, Fincii, Senfelii, Stolzeri, præstantissimorum Musicorum compositionibus. Ejusmodi modos Musicos Cantores introducant, urgeant, defendant, pueris ab ineunte

atate

ætate commendent, & omnino faciant, ut cum materia graui & suavi harmonia quoq; grauis & suavis audiatur. Quia tamen in re tam graviter à multis hodiè peccatur, ut haud sciam, an ulla alia liberalium artium pars à cultotibus suis tam obscænè violetur. Intermissâ enim est studiosè reiectâ Musica vetere & gravi omnes ferè novis videmus delectari modulationibus, quæ vel saltantiû agilitatem imitantur, vel lascivientium scurrilitatem ostendunt, vel pugnantium incitationes ad prælia repræsentant, aut quæ alioquin auriû voluptati & pruritu magis, quàm animo ad studium virtutis accendendo serviunt. Audias etiam sæpè scurriles sententias immisceri; & si varia, ac aliquo modo tolerabili vocû varietate (quam *ῥεωμανισμὸν* Græci vocant) palliari possunt, adeò nemo est, qui cantilenas illas improbet, ut etiam à multis ceu ex optimis solertiores exosculentur, qualis erat barbarica illa ante biennium variarum cantilenarum confusio, & quodlibetum, ut nominare solebant.

Musica late-
viens hodiè à
multis pro-
bantur.

Sapientibus certè Rerum publicarum gubernatoribus Ethnicis magnæ curæ fuisse videmus, ut probatos Musicae modos legibus publicis sancirent, quos & ciues in suis cantilenis publicè usurpare oportebat, ne per lascivam Musicam civium mores depraverentur: illas melodiarum qualitates recentes Musici Tonos, veteres Latini cōmodiore appellatione Modos, Græci verò νόμοις, i. e. leges vocant, quòd publicis legibus certæ & probatæ cantionum Melodiæ, modestæ scilicet & graves, essent constitutæ, ne cuivis cantori liberum esset pro suo libitu Musicae modos variando flectere & depravare.

Ethnici gra-
vitatem Mu-
sicæ defende-
runt.

Timotheus
Milesius pu-
nicus ob au-
ctionem so-
norum musi-
calium,

Exemplum severitatis hujus in retinendis proba-
tis Musicae harmoniae modis ostendit honesta anti-
quitas in Timotheo Milesio, artifice celeberrimo, ma-
gno Sparta concursu artem profitente, cum is per-
tasus usitatarum & simplicium modulationum, uni-
cam saltem chartam in cithara addidisset, multipli-
cioremque Musicam reddidisset, publico profecto &
memorabili decreto ex Laconica Repub. fuit eiectus,
propterea quod modestam & gravem Musicam in
mollius chromaticum genus invertendo adultera-
set. Multo magis igitur nobis summo studio provi-
dendum est, ne in templa, scholas, & reliquos civium
congressus lasciviam, mollem, saltantem, voluptuariam,
& veterem gravitatem superciliosè aspernantem Mu-
sicam introducamus. Et hac in parte cantores cum
suis Dominis collegis in scholis plurimum rei litera-
riae possunt prodesse. Et de te, quin tuum sis facturus
officium, ut te doctore & ductore Musicam habea-
mus, quae omnibus bonis probetur, non dubitemus.

Institutio pu-
erorum alte-
rum est can-
toris officium

Requirit deinde & aliam haec functio tua laborum
partem, quae abiecta primo aspectu & vilissima vide-
tur, sed progressum doctrinae & eventum si observa-
mus, & praecipuam & nobilissimam eam esse, nemo
est qui non cogatur fateri. Rudes, dico, informandi
tibi sunt pueri, eos ut in Musicis, ita & in Grammati-
cis praecipuis ita institues, ut probe & exacte norint
regulas, & ut non has tantum ediscant, verum etiam
ad usum in loquendo & scribendo facile & absque
haesitatione transferre possint. Ita tu *συν τῷ θεῷ* fun-
damentum ponis omnis eruditionis, ad quam hi di-
scipuli

xi

Βιβλιοθήκη & χειρῶν



seipuli tui ascendent : sin verò remissius & negligens fueris in exercitiis istis, corruet teste Quintiliano, quicquid etiam superstruere miseri illi conabuntur. Hic discentiū ingenia cognoscenda sunt, quid discipulorum quisque præstare possit, & num cum lenitate quadam, an cum obiurgatione duci aliquis debeat. Quemadmodum enim boni agricolæ est terram nosse, quam colit : ita etiam præceptor diligens in primis cuiusque indolem & ingenium cognoscere debet; cum non omnibus eadem sint adhibenda.

Ingenia puerorum cognoscenda sunt.

Erit hæc functio tibi laboriosa, fateor: sed & honorifica tibi erit, & maximam pariet laudem, dum per te & indefessum studium tuum ad summam sapientiam discipulos tuos pervenisse videbis. De Lacone quodam legimus, quòd admodum diligentē curam pueri susceperat, qui in illius disciplinam traditus fuerat. Cùm igitur interrogaretur, quid esset puerum docturus: Efficiam, inquit, ut honestis delectetur, & turpibus offendatur, nihil enim efficacius esse ad veram felicitatem, quàm amare virtutem propter se, & odisse vitium propter se.

Hæc diligentia in docendo significatio tantoperè placuit bonis, ut Plutarchus eam scriptis suis inseruerit, & immortalem laudem Laconi conciliaverit. Ita multò magis nostrorum puerorū præceptores semper eternam præstitæ in instituendis illis diligentia, & hic & in futuro seculo gloriam & remunerationem habebunt.

Functiones scholasticæ sunt laboriosæ, sed & fructuosæ.

Sed & de hoc monendus es, adiunctam esse institutioni & castigationem ac correctionem petulantia & pra-

Castigatio morum est

52
pars officij
cantoris.

ORATIO II

& pravitatis puerilis, quæ neutiquam in scholis prætermitti potest nec debet. Quemadmodum enim medicus ægrotum non potest sanare, nisi & medicamentis & præceptis suis molestus sit ægro: Ita fidelis præceptor nunquam in præclarum virum educabit puerum, nisi obiurgationibus tempestivis eum mordeat, & pravitatem amputando avellat. Proinde & Antisthenes interrogatus, cur tam severus esset in discipulos, respondit, & medicos suos ægrotos simili modo curare. Quapropter & disciplinæ gubernatio pars erit tui officii, in qua tamen tu ipse videbis, quid te facere deceat, ne ex præceptore Orbilius plagosus fias.

Concordia
inter collegas
est colenda.

Hæc inter pueros obambulans observabis diligenter, ac tunc boni præceptoris officio functus fueris. Sed non tantum cum discipulis colloqueris, verum & collegas habes adiunctos, & inter hos Rectorem: cum singulis vives familiariter, ut paucis te fuisse studiosum videamus, & scholæ huius incrementum experiamur. Concordiâ enim non tantum res œconomicæ crescunt, sed & gubernatio scholastica felicior fit & prosperior. Si difficultatem quandam in officio tuo senties, quam superare solus non poteris, Rectoris consilium implora, reliquorum collegarum iudicia explora, eorum admonitiones utiles honora: successum videbis studiorum & laborum tuorum utilem & felicem. Quemadmodum enim ignis in omnibus officinis omnium artium & operum est instrumentum: ita sine charitate & mutua inter collegas benevolentia nihil rectè geritur. Et, ut à tua professione simile
simile

simile adducam, quæro, an non duabus vocibus simul sonantibus concentus fiat gravior, respondetis, fieri maximè. Ita quicquid in officio publico fit à Collegis consensu communi & concordi, graviolem quasi concentum ostendit, auctoritatem singularem, & usum sive fructum producit maximum. Sed ne docere videar, néve de tua & Collegarum tuorum mutua φιλοφροσύνη dubitare dicar, nihil amplius addam, ac sufficiat, quod in ingressu hoc officij tui partes delineando exposuerim. Ex te nunc audire cupimus, num singula hæc, quæ commemorata fuere, observare, & ita CANTORIS officio fungi volueris, ut utilem te fuisse Scholæ nostræ intelligamus.

RESPONDET CANTOR:

Promitto me, quæ proposita mihi sunt, Dei opere facturum.

QUAPROPTER ego PAULUS LAURENTIUS Theol. D. ex jussu & decreto Amplissimi, prudentissimi & clarissimi Senatus Dresdensis, & pro auctoritate ea, quæ tum ab Illustris. Electore Saxonix, tum ab Amplis. Senatu nostro mihi data est, te CHRISTOPHORUM LISBERGERUM celeberrimæ scholæ nostræ Dresdensis CANTOREM, & reliquorum Præceptorum COLLEGAM creo & facio, creatum publicè hinc renuncio, & potestatem tibi facio docendi bonas artes in hac schola, & gubernandi eandem, prout tuum officium gubernationem requirit & admittit: Et ut præstare hoc

H

cum

cum scholæ & discentium incremento possis; DEUM invoco, ut propter Filium suum, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, Spiritus sancti donis tibi semper adsit, & labores tuos felicissimos faciat.

Trado itaque tibi discipulos hos, ut tabulam rasam; ita enim puerorum ingenia appellare solebat Aristoteles, in qua tabula perscriptum vides nihil, possunt tamen aptè ascribi & depingi omnia. Ita discipulorum tuorum animi rudes sunt illi quidem, & eruditione nondum exculti: sunt tamen ejusmodi, ut diligente informatione & usu recipere possint præclarissima, & aliquando ostendere, in Ecclesiæ & patriæ usum se informatos esse. Trado etiam tibi baculum & virgam, gubernationis tuæ signa & documenta, ut, quæ ad scholæ incrementum pertinere videbuntur, promoveas; & castigationibus tempestivis corrigas, quæ prava esse, & ad perniciem vergere putaveris.

Discipulorum officium.

Vobis verò discipulis Amplissimus & prudentissimus Senatus noster mandat, & seriò injungit, ut Dominum hunc CHRISTOPHORUM Cantorem & Præceptorem vestrum esse sciatis, ut eum ametis, honorando observeis, ei obediatis, & ut prorsus discipuli sitis ejusmodi, qui εὐβουλιου & mare benedictionis divinæ expectare possint. Cupitis profectò singuli in viros evadere doctos & egregios, sed absque cognitione bonarum artium & observatione honestissimorum morum
tales

tales nunquam eritis; & eruditionem absque præceptorum vestrorum prælectionibus & institutione non habebitis: Proinde & singulis Musis ejusmodi nomina sunt indita, quæ laudem & celebritatem cultoribus suis promittunt;

κλείωτ', εὐτέρωθε, θάλιάτε, μελωμύητε, περιχορήτ',
ἔρατώτε, πολυμνία, οὐρανίητε, καλλιόπη.

Hæc sunt Musarum nomina, quemadmodum sapiens vetustas numeris poëticis & Musicis illa comprehendere, & junioribus tradere solebat, singula nomina laudem, veram, honestam & solidam voluptatem denotant, ut indicetur, bonarum artium studiosos & earum cultores, ubi diligentes fuerint, & Præceptores audiverint, tandem eò devenire, ut assequantur id, quod nomenclationes pollicebantur. Facietis igitur, quod piorum & ingenuorum est discipulorum.

Dum etiam CANTOREM introduximus, & scholæ huic præfecimus, non tantum, ut inferiores Musicam ejus ductu addiscant, volumus: sed & ut superiores in hac parte sint diligentes, & rectè Musicam exercent, præcipimus; quod vobis ipsis imprimis utile erit & honorificum. Cùm Ismenias tibicen aliquando ita caneret, ut cuncti, qui aderant, artem admirarentur, alius quidam ἄμροϙ, quem Ateam Plutarchus nominat, hinnitum equi jucundiorum sibi esse juravit, & hoc in opprobrium hominis istius sempiternum est annotatum:

H. 2.

tatum:

119 53/1 OK
60

ORATIO II.

tatum : Ita vobis quoque dedecus erit, si neglecta institutione Cantoris hujus ignari Musicae esse volueritis : celebres autem, si artem hanc dextrè didiceritis, apud omnes habebimini.

Quæ reliqua sunt vestrarum partium officia, proponuntur ea vobis quotidie à Præceptoribus, ut supervacaneum sit prolixè ea hoc tempore repetere. Hortor saltem vos, ut singula observetis, & obediendo pios vos discipulos & homines frugi declaretis.

DIXI.

Adæa 70 028.



L I P S I Æ

TYPIS BEERWALDINIS

Excudebat Jacobus Popporeich,

ANNO M. DCVI.

m.c.



sta
vo.
di.

cia,
us,
re.
tis,

ULB Halle 3
004 954 408


VDA7







BIN A
 rende
 Suhla
 meum ex
 defungi co
 maturius,
 & operam
 Theologo
 cere posse
 ferens int
 Parallela
 bus, sive fa
 ronchos &
 nere coga
 tamen te a
 sustinere
 Alter
 tibus mon
 sticorum
 adjungi pe
 gas, horte
 commend
 Anno 16

REVE
 ns, pridie
 reditum
 ncionem,
 Idque eo
 um tuum
 utherano
 io displi
 na, con
 tu nobis
 um Patri
 veniat, ut
 um, susti
 ratio : sic
 o veritate
 ntenden
 m schola
 odè alteri
 o tuo per
 cibus tuis
 10. Julij

